DE METRORUM ANAPAESTICORUM APUD POETAS GRAECOS USU ATQUE CONFORMATIONE QUAESTIONES SELECTAE.

DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE
ACADEMIAE WILHELMAE ARGENTINENSIS
RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

AUGUSTUS RAABE
ARGENTORATENSIS.

TYPIS EXPRESSIT
M. DUMONT SCHAUBERG
ARGENTORATUM
MCMXII

Dissertatio ab amplissimo philosophorum ordine probata
die XXV mensis Junii a. 1910.

MATRI CARISSIMAE

SORORI FIDISSIMAE

D. D. D.

Anapaestica carmina quamquam ab Aeschyli aetate usque ad Synesii tempora nobis servata sunt, tamen quod de ceteris fere omnibus metris, idem de anapaestis iure conqueri licet: nimirum usus metri, qualis per fugientes Graeci Romanive aevi aetates obtinuerit, tantum abest ut sponte nobis perspiciatur, ut opinionibus contenti esse cogamur, nisi forte nova fragmenta temporibus progredientibus invenientur. Nam et ea, quae grammatici Graeci et Latini de anapaestis praecipiunt, saepe non modo non lucem, sed etiam obscuritatem rebus afferunt. Accedit, quod ex aetate Alexandrina nihil exstat, quo certum quicquam de illorum temporum usu iudicari possit. Cui rei testimonio est, quod fragmenti illius Berolinensis anapaestici[1]) natura adhuc non plane perspecta est. Praeter tragoedias Graecas saecula prima quattuor Christiani aevi multa monumenta et Graeca et Latina nobis servaverunt, quorum origo atque natura adhuc ignota est. Grammaticorum praecepta varia quo modo inter se cohaereant atque in artis formam ac rationem redigenda sint exquirere haud quisquam ausus est[2]), quamquam alia ratione recentiorum poetarum studia intellegere non possumus. Nihil dico de anapaestorum qualis ante Aeschylum fuerit usu perspiciendo; quae res quamquam omnium maxime necessaria est, tamen absolvi non potest, dum novam fragmentorum Graecorum lyricorum collectionem et recensionem exspectamus.

Quae cum ita sint, hoc quidem opusculo satis habebimus, anapaestorum usum eorum poetarum Graecorum tractare, qui ab aetate Aeschylea usque ad Synesii tempora fuerunt; neque vero eos Romanos praeteribimus, qui carminibus anapaesticis Graecos imitati esse videntur; e quibus Plautum paucis tantummodo verbis attingemus. Sed et grammaticorum studia

---

[1]) Berl. Klass.-Texte, vol. V 2, fgm. 9775, pagg. 131—139.

[2]) Vix enim Hensei de Juba artigrapho librum (Acta societatis philol. Lipsiens. IV (1875), pag. 1 sqq.) commemoret quisquam, qui mihi quidem nullius pretii videtur esse.

respicienda erunt, ut pernoscatur, et quid docendo ad poetarum antiquorum versus cognoscendos conferant, et quo modo recentiorum poetarum et metricorum studia inter se cohaereant. Itaque primum quidem de tragicorum anapaestis agemus, deinde doctrinam metricam, quam aetate Alexandrina ex carminum veterum observatione profectam esse scimus, tractabimus, tum poetarum recentiorum in usum inquiremus, denique scriptorum metricorum praecepta quo modo quibusque de causis paulatim mutata sint demonstrabimus.

Caput I.

De anapaestorum usu, qualis in tragoediarum Graecarum canticis occurrit.

Anapaestorum tragicorum omnium notissimi sunt ei, qui in parodis adhibebantur. Quos, cum iam satis ab aliis tractati sint, nisi res exiget, non attingam. Non minus in usu erant anapaesti illi, qui θρηνητικοὶ vocantur, neque desunt, qui de eis scripserint, quamquam quo modo hae formae paulatim excultae et mutatae sint adhuc nemo satis demonstravit[1]). Sed ne hac quidem de re hoc opusculo disputemus, cum eae formae, quae tam insequentibus temporibus quam imperii Romani aetate adhibebantur, aliunde sumptae sint. Quarum fontem viri docti ea de causa non perspexisse mihi videntur, quod parodorum tragicorum et πνιγῶν quae dicuntur comicorum anapaesti omnium oculos veluti nebula occaecabant. Latet autem vera recentiorum formarum radix in canticis tragicis, de quorum usu anapaestorum nonnulla quidem observata sunt, neque vero aut omnia dicta aut certa ratione tractata. Itaque hoc capite qualis usus anapaestorum in partibus lyricis tragoediarum Graecarum fuerit demonstrabo[2]). Qua in re multa quidem nota dicam; tamen totius rei gratia et haec commemorare mihi liceat.

---

[1]) Paucis verbis hanc rem attigit Kaibel in Electrae Sophocleae editione pagg. 82—83.

[2]) Editiones adhibui has: Aeschyli Weilianam (1903), Sophoclis Dindorfianam[6] (1896), Euripidis Murrayanam. Quibus locis aliorum lectiones probavi, hoc notavi. Nonnunquam Schroederi editio canticorum Euripideorum (1910) iudicium meum mutavit. Saepius huius viri digessionem meae digessioni addidi.

Ac primum quidem de paroemiaco quid sciamus complectar. Paroemiacum versum popularem vetustissimum esse constat[3]. Quem membris ionicis eisque formis, quae in carminibus ionicis admittebantur, inserebant poetae tragici, quorum princeps iam Aeschylus. Qui systema ionicum paroemiaco claudit Pers. 696:

σέβομαι μὲν προσιδέσθαι, 2i(onici)
σέβομαι δ' ἀντία λέξαι 2i
σέθεν ἀρχαίῳ περὶ τάρβει. paroem(iacus)

Neque vero in his carminibus paroemiacus clausulae munere illo fungitur, quod obtinet in systematibus anapaesticis parodorum. Itaque et in medio cantico positus est Pers. 974:

ἰὼ ἰώ μοι, reiz(ianum)
τὰς ὠγυγίους κατιδόντες paroem.
στυγνὰς Ἀθάνας reiz.
πάντες ἑνὶ πιτύλῳ dochm(ius)
ἐὴ ἐή, τλάμονες ἀσ- dim(eter) chor(iambicus)
παίρουσι χέρσῳ. reiz.

V. 976. dimeter choriambicus est, quem et Euripides in tragoediis postremae aetatis saepissime adhibuit[4]) et apud Sophoclem nonnullis locis invenimus. Dochmius ab his formis non alienus est. Vv. 973, 975, 976^b autem reiziani sunt, qui in Euripidis carminibus choriambicis formam habent (◡)◡_◡◡_⏓[5]).

Facere non possum, quin et in ceteris locis, quos afferam, versus eos, qui paroemiacis formisque anapaesticis finitimi sunt, describam; neque enim alia ratione intellegemus omnibus anapaestorum compositionibus, quaecumque sunt, eundem usum innatum fuisse.

Sophocles paroemiaci usus plura exempla praebet. Oed. 189—196:

Ἀρεά τε τὸν μαλερόν, ὃς 2i[6])

---

[3]) Cf. Usener, Altgriechischer Versbau, pag. 44 sq.

[4]) Cf. Wilamowitz, Choriambische Dimeter, Sitzber. d. Berl. Akad. 1902, pagg. 865—896.

[5]) Aliam formam Sophocles adhibuit El. 1061:

ἀφ' ὧν τε βλάστωσιν ἀφ' ὧν τ' dim. chor.
ὄνασιν εὕρωσι, τάδ' οὐκ dim. chor.
ἐπ' ἴσας τελοῦμεν; reiz.

[6]) i littera et iambicum metrum signo et ionicum, ut Wilamowitzius (cf. Kaibel, Electra pag. 176, ad vv. 472 sqq.).

νῦν ἄχαλκος ἀσπίδων	2i
φλέγει με περιβόατον, ἀντιάζω	3i
παλίσσυτον δράμημα νωτίσαι πάτρας	3i
ἄπουρον, εἴτ' ἐς μέγαν	2i
θάλαμον Ἀμφιτρίτας	ithyph(allicus)
εἴτ' ἐς τὸν ἀπόξενον ὅρμων	paroem.
Θρῄκιον κλύδωνα.	ithyph.

Trimeter iambicus catalecticus (191) saepius in his carminibus nobis occurret. Idem de ithyphallico (194; 196) dicendum est, qui inter formas ionicas quin idem valeat quod duo metra ionica nemo dubitabit.

Phil. 1130—1137:

ἤ που ἐλεινὸν ὁρᾷς, φρένας εἴ τινας	4 dact(yli)
ἔχεις, τὸν Ἡράκλειον	$2i_{SA}$ [7])
ἄρθμιον ὧδέ σοι	2 dact.
οὐκέτι χρησόμενον τὸ μεθύστερον	4 dact.
ἀλλ' ἔνθεν μετ' ἀγκάλᾳ	2i
πολυμηχάνου ἀνδρὸς ἐρέσσει,	$paroem._H$
δριῶν μὲν αἰσχρὰς ἀπάτας	dim. chor.
στυγνὸν δὲ φῶτ' ἐχθοδοπόν,	dim. chor.

Formae dactylicae a carminibus ionicis alienae non sunt, quod alii loci quos afferam docebunt. Post paroemiacum synaphia omissa est.

Clausulae munere, ut Pers. 696, paroemiacus fungitur Oed. Col. 1248:

ἆται κλονέουσιν ἀεὶ ξυνοῦσαι	dim. chor. + i_H
αἱ μὲν ἀπ' ἀελίου δυσμᾶν,	glyc(oneus)
αἱ δ' ἀνατέλλοντος,	$2i_{SA}$
αἱ δ' ἀνὰ μέσσαν ἀκτῖν',	2i
αἱ δ' ἐννυχιᾶν ἀπὸ ῥιπᾶν.	paroem.

Glyconeum in canticis ionicis pro dimetro ionico habitum esse constat[8]). V. 1246/7 dimetri choriambici sunt, in quibus choriambus priorem locum obtinet.

Paroemiaci lyrici usum et haec exempla demonstrant Euripidea:

---

7) $_{SA}$ significat syllabam ancipitem, hiatum littera $_H$.

8) Cf. Wilamowitz, Timotheus Perser pag. 31; praeterea Soph. Phil. 1124 = 1147 et Eur. Iph. Taur. 1096 = 1113.

Alc. 86—94:

κλύει τις ἢ στεναγμὸν ἢ	2i
χειρῶν κτύπον κατὰ στέγας	2i
ἢ γόον ὡς πεπραγμένων;	2i
οὐ μὰν οὐδέ τις ἀμφιπόλων στα-	4 dact.
τίζεται ἀμφὶ πύλας.	3 dact.
εἰ γὰρ μετακύμιος ἄτας,	paroem.
ὦ Παιάν, φανείης.	ithyph.[9]
οὐ τᾶν φθιμένης γ' ἐσιώπων.	paroem.
νέκυς ἤδη.	i
οὐ δὴ φροῦδός γ' ἐξ οἴκων.	paroem.

Sequitur systema anapaesticum. V. 92 ithyphallicum habemus post paroemiacum, ut Soph. Oed. 196 (supra pag. 8). Eandem formarum compositionem (paroem. ithyph.) notavi Hipp. 1109/10:

ἦ μέγα μοι τὰ θεῶν μελεδήμαθ', ὅταν φρένας ἔλθῃ,	hexam.
λύπας παραι-	i
ρεῖ· ξύνεσιν δέ τιν' ἐλπίδι κεύθων	4 dact.
λείπομαι ἔν τε τύχαις θνατῶν καὶ ἐν ἔργμασι λεύσσων·	hexam.
ἄλλα γὰρ ἄλλοθεν ἀμείβεται,	2 dact. + i
μετὰ δ' ἵσταται ἀνδράσιν αἰὼν	paroem.
πολυπλάνητος αἰεί.	ithyph.

Hipp. 1119—1125:

οὐκέτι γὰρ καθαρὰν φρέν' ἔχω <τὰ> παρ' ἐλπίδα λεύσσων,	hexam.
ἐπεὶ τὸν Ἑλλανίας	2i
φανερώτατον ἀστέρ' Ἀθάνας	paroem.
εἴδομεν εἴδομεν ἐκ πατρὸς ὀργᾶς	4 dact.
ἄλλαν ἐπ' αἶαν ἱέμενον.	2i

Andr. 122—125:

οἵ σὲ καὶ Ἑρμιόναν ἔριδι στυγερᾷ συνέκλῃσαν	hexam.
τλάμον' ἀμφὶ λέκτρων	ithyph.
διδύμων ἐπίκοινον ἐοῦσαν	paroem.
ἀμφὶ παῖδ' Ἀχιλλέως.	ithyph.

Hic quartus locus est, quo paroemiacum sequitur ithyphallicus.

---

[9]) Schroederi digessio (molossus + bacchius) mihi non probatur.

Ion. 475—480:

τέκνων οἷς ἂν καρποτρόφοι dim. chor.
λάμπωσιν ἐν θαλάμοις dim. chor.
πατρίοισι νεανίδος ἧβαι paroem.
διαδέκτορα πλοῦτον reiz[10]).
ὡς ἕξοντες ἐκ πατέρων dim. chor.
ἑτέροις ἐπὶ τέκνοις. reiz[10]).

Constat igitur paroemiacum in tragoediarum Graecarum partibus lyricis insertum esse formis ionicis. Cuius radix sine dubio sita est in antiquissimo illo versu populari, cuius variae formae exstant: anacreonteum, Archilochi illud Ἐρασμονίδη Χαρίλαε, quam formam cum ithyphallico coniunctam enoplium vocare solemus[11]); metrum illud in embaterio Tyrtaei stichice adhibitum, cuius exemplum affert Dio Chrysostomus: ἄγετ', ὦ Σπάρτας εὐάνδρω e. q. s., quo usus est etiam Cratinus teste Hephaestione pag. 27, 3 Consb.: σιγᾶν νυν ἅπας ἔχε σιγᾶν e. q. s. Poetae tragici, cum systemata anapaestica formarent, propter anapaestorum similitudinem catalexeos munus ad hunc versum popularem transtulerunt. Quoniam autem cum anapaestis solemniter coniungerentur, paroemiaci ad anapaestorum ipsorum rationem exculti sunt ita, ut vel longarum syllabarum solutionem paterentur. Genuinam naturam in lyricis partibus versus popularis servavit, quippe in quibus non aliter adhiberetur atque aliae formae metricae, nimirum clausulae locum non teneret. Itaque ne licentia quidem illa longas syllabas in duas breves dissolvendi in lyrico paroemiaco occurrit; puri plerumque anapaesti decurrunt, spondeus nisi primo pede non fertur exceptis Pers. 696 (supra pag. 7) et Alc. 94 (supra pag. 9).

Praeter paroemiacum membra vere anapaestica temporibus progredientibus in tragoediarum partes lyricas recepta sunt, quae qua ratione adhibitae et unde sumptae sint iam investigemus.

Dochmios cum iambis aliisque formis ionicis coniunctos iam Aeschylus praebet satis multos. Quorum loco, cum totidem χρόνους haberent, metra anapaestica ponere tragicos poetas sibi

---

[10]) Schroeder: ⏑⏑ pherecr(ateus). Sed cf. supra pag. 7 et annot. 5.

[11]) Cf. Wilamowitz, Heracles² II, pag. 27 sq. Huius formae auctoritate ducti poetae tragici saepius ithyphallicum componebant cum lyrico paroemiaco; cf. supra pag. 8 sq.

permisisse docuit Wilamowitzius[12]). Quod non plane ita se habere tum intellegemus, cum lyricorum anapaestorum radices, quae aliae sunt aliis formis, cognoverimus. Tres sunt lyricorum anapaestorum formae: monometri, dimetri, compositiones anapaesto-iambicae.

Ac primum quidem de monometris agamus. Qui non dochmiorum loco ponebantur, sed suam auctoritatem inter cetera metra obtinebant. Radix enim eorum in carminibus threneticis sita est, in quibus et anapaesti semper legitimi fuerant, neque dochmii, ut in canticis magna cum animi concitatione pronuntiatis, inusitati. Quod ita esse apparet ex Aeschyli Persarum amoebaeo, quo Xerxes et chorus exercitum clade Salaminia exstinctum queruntur anapaestis illis, quibus membra ionica admixta sunt; sub finem autem dochmii accedunt; versus enim postremos cod. M[13]) ita exhibet:

ΞΕ.	ἠὴ ἠὴ τρισκάλμοισιν	2 an(apaestica metra)
	ἠὴ ἠὴ βάρισιν ὀλόμενοι.	an + dochm.
ΧΟ.	πέμψω τοί σε δυσθρόοις γόοις.	dochm. + i.

Hanc metrorum anapaesticorum dochmiorumque compositionem primus ex θρήνοις in alia cantica transtulit Aeschylus ipse Prom. 687—695[14]):

ἔα ἔα, ἄπεχε, φεῦ·	2 cr(etici)
οὔποτ' οὐπώποτ' ηὔχουν ξένους	3 cr.
μολεῖσθαι λόγους ἐς ἀκοὰν ἐμάν,	2 dochm.
οὐδ' ὧδε δυσθέατα καὶ δύσοιστα,	3 i
πήματα, λύματα, δείματα κέντρῳ	2 an
ψύχειν ψυχὰν ἀμφήκει ἐμάν.	2 an
ἰὼ [ἰὼ] μοῖρα μοῖρα	2 i
πέφρικ' εἰσιδοῦσα πρᾶξιν Ἰοῦς.	2 i

Res de qua agit chorus non est laeta; Prometheus ipse v. 696 dicit στενάζειν Oceani filias; res igitur ipsa poetae quasi praecipiebat, quibus metris uteretur. Eadem de causa anapaestos Aeschylus admisit in choro illo Agam. 1001—1017 = 1018—1034[15]):

---

[12]) Heracles² II, pag. 191 (ad vv. 880—84) et pag. 218 (ad vv. 1016–21); Nachr. v. d. Gött. Ges. d. Wiss. 1896—1897, pag. 214.

[13]) Weil pag. XXXI. Cf. etiam Schroeder, Aeschyli cantica, pag. 37.

[14]) Secutus sum Schroederi lectionem in Aeschyli canticis pag. 45.

[15]) Contextus corruptus est et in stropha et in antistropha. V. 1019 πρόπαρ cod. Flor., προπάροιθ' Farnes. sine dubio Byzantinus quidam

τὸ δ' ἐπὶ γᾶν ἅπαξ πεσὸν ◡◡ ◡ _ ◡|_ ◡ ◡◡ } (vide annot. 15).
θανάσιμον πρόπαρ ἀνδρὸς ◡◡ ◡ _ ◡|◡ _ _ = pherecr. }
μέλαν αἷμα τίς ἂν — an
πάλιν ἀγκαλέσαιτ' ἐπαείδων; — paroem.
οὐδὲ τὸν ὀρθοδαῆ — _ ◡◡ _|◡◡ _ = 2i
τῶν φθιμένων ἀνάγειν — _ ◡◡ _|◡◡ _ = 2i
Ζεὺς ἀπέπαυσεν ἐπ' ἀβλαβείᾳ. — décasyll. alc.

Hoc loco paroemiacus, qui anapaesticum metrum sequitur, ut in systematibus sententiam claudit. Dochmii, nisi contextu corrupto latent, defuisse videntur; quod, si Aeschylus anapaestos pro dochmiis adhibuisset, fieri non potuisset.

Sophocles uno loco, quem pag. 16 tractabimus, excepto monometros anapaesticos in canticis non usurpavit; saepe eis utitur Euripides. Cuius in primo exemplo dochmii plane desunt. Med. 148 enim suscipit chorus anapaestos lugubres Medeae sortem suam querentis:

ἄιες· ὦ Ζεῦ καὶ γᾶ καὶ φῶς· — 2 an
ἀχὰν οἵαν ἁ δύστανος — 2 an
μέλπει νύμφα; — an

Quis est quin sentiat threnorum imitationem? Sequuntur enoplii, non dochmii.

Anapaestos cum dochmiis coniunctos habemus Hec. 1056—1084 in θρήνῳ Polymestoris, qui totus ex his formis compositus est[16]):

ὤμοι ἐγώ, πᾷ βῶ, πᾷ στῶ, πᾷ κέλσω; — 2 dochm.
τετράποδος βάσιν θηρὸς ὀρεστέρου — 2 dochm.
τιθέμενος ἐπίχειρα κατ' ἴχνος; ποίαν — 2 dochm.
ἢ ταύταν ἢ τάνδ' ἐξαλλάξω, τὰς — 2 dochm.
ἀνδροφόνους μάρψαι — dochm.
χρῄζων Ἰλιάδας, αἵ με διώλεσαν; — 2 dochm.
τάλαιναι κόραι τάλαιναι Φρυγῶν, — 2 dochm.
ὦ κατάρατοι, — an
ποῖ καί με φυγᾷ πτώσσουσι μυχῶν; — 2 an

---

coniecit, ut anapaesti fierent. Strophae vv. 1001—3 ita lego: μάλα γέ τοι ⟨τὸ⟩ τᾶς ὑγιέ- | ας πολλᾶς ἀκόρεστον | τέρμα· νόσος γὰρ | e. q. s. — ⟨τὸ⟩ add. Bothe. ὑγιείας corr. Wilam. in Agamemnonis editione.

[16]) V. 1068 ἀκέσαι' ἀκέσαιο τυφλὸν Ἅλιε codd. et Murr. (et Schroeder: an + dochm.). In apparatu critico Murr. tentavit ἀκέσσαι' ἀκέσαιο. Sequor Weilii coniecturam. — V. 1073 θηρῶν τιθέμενος codd. (= 2 an Schroed.); corr. Seidler. — V. 1083 ἐμῶν codd.; μου Hartung.

εἴθε μοι ὀμμάτων αἱματόεν βλέφαρον	2 dochm.
ἀκέσσαιο τυφλὸν ἀκέσσαι', Ἅλιε,	2 dochm.
φέγγος ἐπαλλάξας.	dochm.
ἆ ἆ,	
σίγα: κρυπτὰν βάσιν αἰσθάνομαι	2 an
τάνδε γυναικῶν. πᾷ πόδ' ἐπᾴξας	2 an
σαρκῶν ὀστέων τ' ἐμπλησθῶ,	paroem.
θοίναν ἀγρίων τιθέμενος θηρῶν,	2 dochm.
ἀρνύμενος λώβαν	dochm.
λύμας ἀντίποιν' ἐμᾶς; ὢ τάλας.	2 dochm.
ποῖ πᾷ φέρομαι τέκν' ἔρημα λιπὼν	2 an
Βάκχαις Ἅιδου διαμοιρᾶσαι,	2 an
σφακτά, κυσίν τε φοινίαν δαῖτ', ἀνή-	2 dochm.
μερον τ' οὐρείαν ἐκβολάν;	dochm. + cr.
πᾷ στῶ, πᾷ κάμψω,	dochm.
ναῦς ὅπως ποντίοις πείσμασιν, λινόκροκον	4 cr.
φᾶρος στέλλων, ἐπὶ τάνδε συθεὶς	2 an
τέκνων μου φύλαξ	dochm.
ὀλέθριον κοίταν;	dochm.

Horum metrorum anapaesticorum constructio nihil a paradorum anapaestis differt; omnes enim formae parodorum legitimae, quae sunt quinque[17]), in lyricis quoque partibus occurrunt, nisi quod forma adonea rarius adhibetur, quam in parodis. Rarissime formae liberiores occurrunt (_⏑⏑_⏑⏑ Prom. 691, supra pag. 11), quae animi concitationis depingendae causa usurpatae videntur esse, ut saepius in carminibus threneticis (Hec. 59 sqq., Tro. 122 sqq.).

In recentioribus tragoediis Euripidis monometri anapaestici frequentiores inveniuntur. Tum demum Euripides eos interdum dochmiorum loco adhibuisse videtur, ut Herc. 1085:

<ἢ> τάχα φόνον ἕτερον ἐπὶ φόνῳ βαλὼν	2 dochm.
ἀναβακχεύσει[18]) Καδμείων πόλιν.	an + dochm.

---

[17]) Cf. R. Klotz, de numero anapaestico quaestiones metricae, diss. Lips. 1869, qui apud omnes tragicos poetas Graecos in 55 monometris 12 docet esse formae ⏑⏑_⏑⏑_, 15 __⏑⏑_, 16 _⏑⏑__, 6 ⏑⏑___, 4 ____, modo 2 _⏑⏑_⏑⏑. Ceteras formas aut locis corruptis exstare, aut nihil valere ad legem ipsam infirmandam (pag. 14).

[18]) Ita Wilamowitzius cum codicibus; Nauck mavult dochmium ἀν' αὖ β.

et Phoen. 109—111:

ἰὼ πότνια παῖ Λατοῦς Ἑκάτα, dochm. + an
κατάχαλκον ἅπαν πεδίον ἀστράπτει. an + dochm.

Neque vero umquam monometer anapaesticus suam auctoritatem obtinere desiit; quod apparet ex his locis, quibus dochmii plane desunt paene omnibus:

Ion. 468—471 (= 488—491):

ἱκετεύσατε δ', ὦ κόραι, glyc.[19])
τὸ παλαιὸν Ἐρεχθέως glyc.
γένος εὐτεκνίας χρονίου καθαροῖς 2 an
μαντεύμασι κῦρσαι. reiz.

Hel. 1132—1136 (= 1117—1121):

ἀλίμενα δ' ὄρεα Μάλεα χειμάτων πνοᾷ 3i
ὅτ' ἔσυτο πατρίδος ἀποπρό, βαρβάρου στολᾶς 3i
γέρας, οὐ γέρας ἀλλ' ἔριν, glyc.
Δαναῶν νεφέλαν ἐπὶ ναυσὶν ἄγων, 2 an
εἴδωλον ἱερὸν Ἥρας. 2i

Hel. 1151—1154 (= 1137—1140):

ἄφρονες ὅσοι τὰς ἀρετὰς πολέμῳ 2 an
λόγχαισί τ' ἀλκαίου δορὸς 2i
κτᾶσθε, πόνους ἀμαθῶς θνα- 2i
τῶν καταπαυόμενοι· 2i

Phoen. 1296—1299:

φεῦ δᾶ φεῦ δᾶ, δίδυμοι θῆρες, 2 an
φόνιαι ψυχαὶ δορὶ παλλόμεναι 2 an
πέσεα πέσεα δάι' αὐ- 2i
τίχ' αἱμάξετον. dochm.

Or. 1395—1408:

αἴλινον αἴλινον ἀρχὰν θανάτου 2 an
βάρβαροι λέγουσιν, αἰαῖ, 2 tr(ochaei)
Ἀσιάδι φωνᾷ, βασιλέων 2i
ὅταν αἷμα χυθῇ κατὰ γᾶν ξίφεσιν 2 an
σιδαρέοισιν Ἅιδα. 2i
ἦλθον ἐς δόμους, ἵν' αὔθ' ἕ- 2 tr.
καστά σοι λέγω, λέοντες 2 tr.
Ἕλλανες δύο διδύμω· 2i
τῷ μὲν ὁ στρατηλάτας πατὴρ ἐκλῄζεθ', 3 tr.

[19]) De hac glyconei forma cf. Wilamowitz, Berl. Sitzber. d. Ak. d. Wiss. 1902, pag. 870.

ὁ δὲ παῖς Στροφίου, κατόμητις ἀνήρ, 2 an
οἷος Ὀδυσσεύς, σιγᾷ δόλιος, 2 an
πιστὸς δὲ φίλοις, θρασὺς εἰς ἀλκάν, 2 an
ξυνετὸς πολέμου, φόνιός τε δράκων. 2 an
ἔρροι τᾶς ἡσύχου 2i
προνοίας κακοῦργος ὤν. 2i

Mentione digni sunt etiam versus Or. 1426—1430, in quibus monometros anapaesticos paroemiaci sequuntur more illo adhibiti, quo inde ab Aeschylea aetate in canticis ionicis eos adhibitos esse vidimus, nimirum clausulae locum non tenentes:

Φρυγίοις ἔτυχον Φρυγίοισι νόμοις 2 an
παρὰ βόστρυχον αὔραν αὔραν paroem.
Ἑλένας Ἑλένας εὐπᾶγι κύκλῳ 2 an
πτερίνῳ πρὸ παρηίδος ᾄσσων paroem.
βαρβάροις νόμοισιν[20]). ithyph.

Hoc igitur loco Euripides non systematum usum imitatus est, sed duas formas in ionicis carminibus iam dudum usitatas composuit.

Or. 1482—1489:

δὴ τότε διαπρεπεῖς τότ' ἐγένοντο Φρύγες, 2 dochm.
ὅσον Ἄρεως ἀλκὰν dochm.
ἥσσονες Ἑλλάδος ἐγενόμεθ' αἰχμᾶς, 2 an
ὃ μὲν οἰχόμενος φυγάς, ὃ δὲ νέκυς ὤν, 2 an
ὃ δὲ τραῦμα φέρων, ὃ δὲ λισσόμενος, 2 an
θανάτου προβολάν· an
ὑπὸ σκότον δ' ἐφεύγομεν· 2i
νεκροὶ δ' ἔπιπτον, οἳ δ' ἔμελλον, οἳ δ' ἔκειντ'. 3i

Or. 1495—1498[21]):

ἐγένετο διαπρὸ δωμάτων ἄφαντος, $3i_{SA}$
ὦ Ζεῦ καὶ γᾶ καὶ φῶς καὶ νύξ, 2 an
ἤτοι φαρμάκοισιν ἢ 2i
μάγων τέχναις ἢ θεῶν κλοπαῖς. 2i

Constat igitur a tragicis poetis, praecipue ab Euripide in recentioribus tragoediis, monometros anapaesticos in partibus

---

[20]) Hunc versum equidem non glossema puto, ut Wilamowitzius; sequitur enim paroemiacum; cf. supra annot. 11. Ithyphallicum post anapaestos vide etiam Or. 1456.

[21]) Praetuli digessionem Nauckianam; cf. etiam Nachr. d. Gött. Ges. 1896, pag. 219.

lyricis aliis metris insertos esse, qui paroemiaco non concludebantur. Si paroemiacus aderat, non clausula erat, sed, ut alii versus populares in cantica recepti, qualibet sententiae sede ferebatur.

Iam transeamus ad dimetrum anapaesticum, quem formis ionicis permixtum verborumque fine (i. e. τελείᾳ λέξει) a membris quae circumstant seclusum invenimus, nusquam apud Aeschylum, perraro apud Sophoclem, saepe apud Euripidem. Hic versus a noto illo anapaestorum usu eo differt, quod diaeresin inter bina metra omittit. Tamen dimetrum anapaesticum idem quod duos monometros valuisse inde apparet, quod saepius dimetro strophae respondent in antistropha duo monometri. Ita res se habet Soph. Oed. 466—472 = 476—482, qui est alter locus eorum, quibus hic poeta dimetros anapaesticos adhibuit; eodem sola monometrorum exempla Sophoclea exstant:

466—472:	476—482:	
ὥρα νιν ἀελλάδων	φοιτᾷ γὰρ ὑπ' ἀγρίαν	glyc. (cf. annot. 19)
ἵππων σθεναρώτερον	ὕλαν ἀνά τ' ἄντρα καὶ	glyc.
φυγᾷ πόδα νωμᾶν·	πέτρας ἰσόταυρος,	reiz.
ἔνοπλος γὰρ ἐπ' αὐτὸν ἐπενθρώσκει	μέλεος μελέῳ ποδὶ χηρεύων,	2an
πυρὶ καὶ στεροπαῖς ὁ Διὸς γενέτας,	τὰ μεσόμφαλα γᾶς ἀπονοσφίζων	2an
δειναὶ δ' ἅμ' ἕπονται	μαντεῖα: τὰ δ' ἀεὶ	reiz.
κῆρες ἀναπλάκητοι.	ζῶντα περιποτᾶται.	2i

Alterum locum, quo dimetrum admisit Sophocles, inveni Trach. 953—961 (= 962—970):

εἴθ' ἀνεμόεσσά τις — glyc.
γένοιτ' ἔπουρος ἑστιῶτις αὔρα, — $3i_H$
ἥτις μ' ἀποικίσειεν ἐκ τόπων, ὅπως — 3i
τὸν Δῖον ἄλκιμον γόνον — 2i
μὴ ταρβαλέα θάνοιμι — 2i
μοῦνον εἰσιδοῦσ' ἄφαρ· — $2i_{SA}$
ἐπεὶ ἐν δυσαπαλλάκτοις ὀδύναις — 2an
χωρεῖν πρὸ δόμων λέγουσιν ἄσπετόν τι θαῦμα. — enopl. (cf. annot. 11)

Multa exempla Euripides praebet, quorum in vetustissimo, ut in cantico illo Oedipodis Sophoclei, alteri dimetro antistrophae (v. 306) respondent duo monometri v. 298:

Andr. 293—300[22]):

εἶθε δ' ὑπὲρ κεφαλὰν ἔβαλεν κακὸν
ἁ τεκοῦσά νιν Πάριν,
πρὶν Ἰδαῖον κατοικίσαι λέπάς,
ὅτε νιν παρὰ θεσπεσίῳ δάφνᾳ
βόασε Κασάνδρα κτανεῖν,
μεγάλαν Πριάμου πόλεως λώβαν.
τίν' οὐκ ἐπῆλθε, ποῖον οὐκ ἐλίσσετο
δαμογερόντων βρέφος φονεύειν;

301—308:

οὔτ' ἂν ἐπ' Ἰλιάσι ζυγὸν ἤλυθε	4 dact.
δούλιον, σύ τ' ἄν, γύναι,	2 i
τυράννων ἔσχες ἂν δόμων ἕδρας·	3 i
παρέλυσε δ' ἂν Ἑλλάδος ἀλγεινοὺς	2 an
†μόχθους, οὓς ἀμφὶ Τροίαν†	2 i
δεκέτεις ἀλάληντο νέοι λόγχαις·	2 an
λέχη τ' ἔρημ' ἂν οὔποτ' ἐξελείπετο	3 i_{SA}
καὶ τεκέων ὀρφανοὶ γέροντες.	3 i

Saepissime dimetro utitur Euripides in recentioribus tragoediis: Ion. 505—509:

θηρσί τε φοινίαν δαῖτα, πικρῶν γάμων	2 dochm.
ὕβριν· οὔτ' ἐπὶ κερκίσιν οὔτε λόγοις	2 an
φάτιν ἄιον εὐτυχίας μετέχειν	2 an
θεόθεν τέκνα θνατοῖς.	reiz.

Ion. 1439—1442:

ὦ τέκνον, ὦ φῶς μητρὶ κρεῖσσον ἡλίου —	3 i
συγγνώσεται γὰρ ὁ θεός — ἐν χεροῖν σ' ἔχω,	3 i
ἄελπτον εὕρημ', ὃν κατὰ γᾶς ἐνέρων	iambelegus
χθόνιον μετὰ Περσεφόνας τ' ἐδόκουν	2 an
ναίειν.	i

Iph. Taur. 845—849:

ἰὼ Κυκλωπὶς ἑστία, ἰὼ πατρίς,	3 i
Μυκήνα φίλα,	dochm.
χάριν ἔχω ζόας, χάριν ἔχω τροφᾶς,	2 dochm.
ὅτι μοι συνομαίμονα τόνδε δόμοις	2 an
ἐξεθρέψω φάος.	2 cr.

Iph. Taur. 875—882[23]):

τίνα σοι πόρον εὑρομένα πάλιν ⟨αὖ	2 an

[22]) Praetuli cum Nauckio lectionem εἶθε δ' ὑ. 293. — 294 Πάριν corruptum; μόρον coni. Hermann. — 305 corruptum; πόνους, ὅτ' ἀμφὶ Τρωΐαις Hermann.

[23]) Lacunam supplevit Bruhn.

ξένας σ’ > ἀπὸ πόλεως, ἀπὸ φόνου πέμψω	2 dochm.
πατρίδ’ ἐς Ἀργείαν,	dochm.
πρὶν ἐπὶ ξίφος αἵματι σῷ πελάσαι;	2 an
τόδε τόδε σόν,	i_{SA}
ὦ μελέα ψυχά, χρέος ἀνευρίσκειν.	2 dochm.

Phoen. 1753—1757[24]):

Καδμείαν ᾠ	an
νεβρίδα στολιδωσαμένα ποτ’ ἐγὼ	2 an
Σεμέλας θίασον	an_{SA}
ἱερὸν ὄρεσιν ἀνεχόρευσα, χάριν ἀχάριτον	3 tr.
ἐς θεοὺς διδοῦσα;	ithyph.

Eandem formarum anapaesticarum dispositionem (monom. dim. monom.) repperi Or. 1434/5:

ἃ δὲ λίνον ἠλακάτᾳ	2i
δακτύλοις ἕλισσεν,	2i (ithyph.)
νῆμά θ’ ἵετο πέδῳ	2i
σκύλων Φρυγίων	an
ἐπὶ τύμβον ἀγάλματα συστολίσαι	2 an
χρῄζουσα λίνῳ,	an
φάρεα πορφύρεα, δῶρα Κλυταιμήστρᾳ.	2 dochm.

Singularem locum obtinet Phaethontis fragmentum (773 Nauck[2]), quod ex stasimo provenit. Cuius stropham alteram e papyro Berolinensi 9771 a Wilamowitzio[25]) restitutam describam:

ἄκατοι δ’ ἀνάγονται ὑπ’ εἰρεσίας	2 an
ἀνέμων τ’ εὐαέσσιν ῥοθίοις.	2 an
ἀνὰ δ’ ἱστία < ναῦται > ἀειράμενοι	2 an_H
ἀχοῦσιν· < ἄγου, πό>τνι’ αὔρα,	paroem.$_{<H>}$
< ἡμᾶς σὺν > ἀκύμονι πομπᾷ	paroem.
σιγώντων ἀνέμων	dim. chor.
< ποτὶ τέκνα > τε καὶ φιλίας ἀλόχους.	2 an
σινδὼν δὲ πρότονον ἐπὶ μέσον πελάζει.	3i

Non modo dimeter anapaesticus ter iteratur, sed etiam paroemiacus bis, id quod, si huius versus originem popularem respicimus, mirum non est, in aliis fabulis Euripideis non occurrit. Non minus singularis hiatus est post v. 37 admissus. Quae tamen novitates me non movent, ut hanc tragoediam ab Euripide adulescente confectam esse putem, quod qua de causa non verisimile mihi videatur infra (pag. 21) demonstrabo.

[24]) Sequor digessionem Nauckianam et Schroederianam.

[25]) Berl. Klass.-Texte V 2, pag. 81—2.

Restat, ut dimetrorum anapaesticorum originem investigemus. Sine dubio poetae tragici hac forma carminum threneticorum usum imitati sunt, in quibus bina metra anapaestica in unum membrum ita contrahi licebat, ut diaeresis omitteretur. Huius licentiae testimonia invenimus non quidem in Aeschyli Persis, sed in Hecuba Euripidea, quae fabula post threnum illum Persarum vetustissimum talium carminum exemplum servavit[26]. His quoque dimetris, quos threneticos vocemus, in antistropha non raro duo monometri respondebant, quod apparet ex cantilena lugubri Troadum[27]. Hanc igitur licentiam poetae tragici etiam in aliis carminibus, si anapaestos formabant, interdum admittebant, non quidem iam Aeschylus, quippe qui, ut diximus, ne in threnorum quidem anapaestis diaeresin neglexerit.

Neque vero hic usus ita, ut monometrorum lyricorum, ortus est, cum facile ex θρήνοις in alia carmina translatus est; quod intellegas ex hac re gravissima. Cum enim licentia illa longae syllabae dissolvendae ex parodorum anapaestis in lyricarum partium monometros transiret, non transiit in dimetros. Qui praeter spondeos alias formas non recipiebant. Usum igitur dimetrorum lyricorum ex threnis poetae ceperunt, anapaestos formandi rationem aliunde sumpserunt.

Accedit quaestio altera. Neque enim inter Persas et Hecubam threnorum exempla habemus, quibus appareat, quo tempore diaeresis in anapaestis threneticis neglegi coepta sit, neque satis multas tragoedias Sophoclis et Euripidis habemus, ut sciamus, uter prior novo usui dimetrorum lyricorum operam dederit. Quas res tamen omnes ad certum redigi posse existimo, si tertiae formae anapaesticae, quae in partibus lyricis occurrit, naturam et radicem cognoverimus.

Iam igitur formas illas tractemus, quas anapaesto-iambicas supra (pag. 11) vocavimus. Unus monometer anapaesticus cum metro iambico sequenti ita coniungitur, ut unum versum eumque a membris finitimis per diaeresin seiunctum formet[28]. Qua in compositione metrum anapaesticum nullam formam admittit nisi ◡◡_◡◡_; metrum iambicum plerumque purum est; duobus

---

[26]) Velut v. 156 δειλαία δειλαίου γήρως et 162 ποίαν ἢ ταύταν ἢ κείναν.

[27]) V. 170 ἐκβακχεύουσαν Κασάνδραν = 192 ποῦ πᾷ γαίας δουλεύσω γραῦς. 174 = 195. 198 = 215.

[28]) Cf. iam Wilamowitzium in Herculis editione priore (1889), vol. II, pag. 234 (ad v. 1016).

locis cretici formam praebet. Horum versuum exempla neque apud Aeschylum inveniuntur neque apud Sophoclem[29]); Euripides in recentioribus demum fabulis eos adhibere coepit.

Ac primum quidem ea exempla afferam, quae puros iambos habent:

Ion. 1445—1449[30]):

ἰώ· ἰώ, λαμπρᾶς αἰθέρος ἀμπτυχαί,	2 dochm.
τίν' αὐδὰν ἀύσω,	2 bacch.
βοάσω; πόθεν μοι	2 bacch.
συνέκυρσ' ἀδόκητος ἡδονά;	an + i
πόθεν ἐλάβομεν χαράν;	2 cr.

Vv. 1446/7 baccheos, non iambos esse opinor, cum diaeresis post singula metra de industria servata esse videatur. Hoc metrum in anapaesto-iambicorum vicinitate saepius nobis occurret.

Ion. 1464—1467:

δῶμ' ἑστιοῦται, γᾶ δ' ἔχει τυράννους·	3 i
ἀνηβᾷ δ' Ἐρεχθεύς,	2 bacch.
ὅ τε γηγενέτας	an
δόμος οὐκέτι νύκτα δέρκεται,	an + i_H
ἀελίου δ' ἀναβλέπει λαμπάσιν.	2 dochm.

V. 1466 post formam anapaesto-iambicam synaphia neglecta est; quam licentiam etiam aliis locis repperi. Dimetro de quo agimus v. 1466 monometer anapaesticus antecedit; dimetrum anapaesticum poeta praemisit Ion. 1507[31]):

μεθίσταται δὲ πνεύματα·	$2 i_{SA}$
μενέτω· τὰ πάροιθεν ἅλις κακά· νῦν	2 an
δὲ γένοιτό τις οὖρος ἐκ κακῶν,	an + i
ὦ παῖ.	sp(ondeus)

El. 585—589:

ἔμολες, ἔμολες, ὦ χρόνιος ἁμέρα,	2 dochm.
κατέλαμψας, ἔδειξας ἐμφανῆ	an + i
πόλει πυρσόν, ὃς παλαιᾷ φυγᾷ	2 dochm.

---

[29]) Trach. 497 sqq. num formas anapaesto-iambicas habeamus, adhuc diiudicare non audeo, cum admixta sint membra dactylo-epitritica, quae ab anapaestis lyricis abhorrere credas. Tamen has formas tam diversas non plane alienas fuisse alii loci docere videntur, ut Hipp. 161—169 et Ion. 1501—9. Qua de re alio loco fusius disputandum erit.

[30]) Secutus sum digessionem Wilamowitzii Nachr. d. Gött. Ges. 1896, pag. 217.

[31]) Laudo Wilamowitzii digessionem l. c. pag. 218. Cf. etiam Schroeder, Euripidis cantica, pag. 79.

πατρίων ἀπὸ δωμάτων τάλας an + i
ἀλαίνων ἔβα. dochm.

Dimetrum anapaesto-iambicum etiam in Phaethontis fragmento inveni (781, 65—67 Nauck²):

ἰώ μοί μοι, κακὰ φανήσεται· an + dochm.
βασίλεια τάλαινα παῖς τ' ἔσω an + i
κρυφαῖος νέκυς. dochm.

Qua de causa Phaethontem non ab Euripide adulescente confectum esse existimo, cum forma anapaesto-iambica in vetustioribus fabulis huius poetae non occurrat.

Nonnullis locis metrum iambicum, quod anapaestos sequitur, formam habet ⏑⏑–⏑–:

Hel. 636—643:

ὦ φιλτάτη πρόσοψις, οὐκ ἐμέμφθην· 3i
ἔχω τὰ τῆς Διός τε λέκτρα Λήδας θ', 3i
ἃν ὑπὸ λαμπάδων κόροι λεύκιπποι 2 dochm.
ξυνομαίμονες ὤλβισαν ὤλβισαν an + i
τὸ πρόσθεν, ἐκ δόμων δὲ νοσφίσας σ' ἐμοῦ 3i
πρὸς ἄλλαν ἐλαύνει 2 bacch.
θεὸς συμφορὰν τᾶσδε κρείσσω. 3i (bacch.)

Omnes formae metricae satis notae sunt; trimetri iambici catalectici, bacchei, dochmii in his carminibus semper occurrerunt. Itaque de v. 640 natura anapaesto-iambica nulla dubitatio est[32]). Dimeter anapaesticus, ut Ion. 1508, antecedit formae anapaesto-iambicae Phoen. 163:

ἀνεμώκεος εἴθε δρόμον νεφέλας 2 an
ποσὶν ἐξανύσαιμι δι' αἰθέρος an + i
πρὸς ἐμὸν ὁμογενέτορα, περὶ δ' ὠλένας 2 dochm.
δέρᾳ φιλτάτᾳ βάλοιμ' <ἐν> χρόνῳ . . . 2 dochm.

Tertium huius formae exemplum inveni inter fragmenta adespota (130 Nauck²)[33]):

[32]) Plane refellenda est Schroederi digessio vv. 639—41 (Euripidis cantica pag. 111), qui ut dochmios efficeret, λεύκιπποι mutavit in λευκόπωλοι:

ἃν ὑπὸ λαμπάδων dochm.
κόροι λευκόπωλοι ξυνομαίμονες 2 dochm.
ὤλβισαν ὤλβισαν dochm.
τὸ πρόσθεν, ἐκ δόμων δ' ἐνόσφισαν θεοί. [σ' ἐμοῦ] 3i.
πρὸς ἄλλαν . . . . .

[33]) V. 1 πότνια σοφία cod., corr. Hermann. — V. 2 χρυσίου φαννὰν cod., corr. L. Dindorf. — V. 3 δαίμων διδοίη cod., correxi. — V. 6 προσέβαλε cod., corr. Hermann.

πότνι' <ῶ> σοφία, σύ μοι ἅνδανε·	an + i_{SAH}
ὄλβου δ' ἐμοὶ μὴ χρυσέου φαεννὰν	3i
ἀκτῖνα, δαῖμον, δίδου	2i
σοφίας πάρος, ἢ τυραννίδα·	an + i_{SA}
Διὸς ἀπωτάτω	dochm.
κεῖται, καλὸς θησαυρὸς ὅτῳ προσέβα.	iambelegus

Duo illi loci, quibus metrum iambicum cretici formam habet, hi sunt:

Andr. 276—280:

ἦλθ' ὁ Μαίας τε καὶ Διὸς τόκος,	3i
τρίπωλον ἅρμα δαιμόνων	2i
ἄγων τὸ καλλιζυγές,	$2i_{SA}$
ἔριδι στυγερᾷ	an
κεκορυθμένον εὐμορφίας	an + i
σταθμοὺς ἐπὶ βούτα . . .	reiz.

Hel. 644—645:

τὸ κακὸν δ' ἀγαθὸν	an
σέ τε κἀμὲ συνάγαγε πόσιν	an + i
χρόνιον, ἀλλ' ὅμως ὀναίμαν τύχας.	2 dochm.

Hoc loco cretici prior syllaba longa in duas breves dissoluta est, ita ut quarti paeonis formam habeamus.

Dimetrorum anapaesto-iambicorum radicem in nonnullis Pindari fragmentis invenisse mihi videor, quae e Schroederi editione novissima (1908) collegi:

fgm. 105:

σύνες ὅ τοι λέγω,	dochm.
ζαθέων ἱερῶν ὁμώνυμε	an + i_{SA}
πάτερ, κτίστορ Αἴτνας·	2i
νομάδεσσι γὰρ ἐν Σκύθαις ἀλᾶται στρατῶν,	an + 2i
ὃς ἁμαξοφόρητον οἶκον οὐ πέπαται·	an + 2i

fgm. 107[a]:

Πελασγὸν ἵππον ἢ κύνα	$2i_{SAH}$
Ἀμυκλαίαν ἀγωνίῳ	$2i_{H}$
ἐλελιζόμενος	an
ποδὶ μίμεο καμπύλον μέλος διώκων,	an + 2i
οἷ' ἀνὰ Δώτιον ἀνεμόεν πεδί-	4 dact.
ον πέτεται θάνατον κεροέσσᾳ	4 $dact._{H}$
εὑρέμεν ματεῖσ' ἐλάφῳ.	dim. chor.

fgm. 140[a], 36—41:

μνάσθηθ' ὅτι τοι Ζαθέας Πάρου ἐν	2an
γυάλοις ἕσσατο ἄνακτι	2i
βωμὸν πατρί τε Κρονίῳ	dim. chor.
τιμάεντι πέραν ἰσθμὸν διαβαίς,	2an
ὅτε Λαομέδοντι πεπρωμένοι'	an + i
ἤρχετο μόροιο κᾶρυξ.	2i

Neque vero acrius intuentem fugiet, quibus rebus Euripidis ratio anapaestos cum iambis componendi differat a Pindaro. In eis enim formis anapaesto-iambicis, quas Pindarus praebet, aut diaeresis inter anapaesticum metrum et iambicum admissa est (105, 2. 4), aut cum metro iambico membra quae sequuntur et re metrica et sensu artissime cohaerent (105, 5. 107[a], 4. 140[a], 40), ita ut dimetri anapaesto-iambici compositio vix sentiatur. Euripides autem neque in forma anapaesto-iambica diaeresin umquam admisit, et membra quae circumstabant a dimetro anapaesto-iambico tanta diligentia seclusit, ut novam formam quasi stichicam constitueret.

Hunc usum dimetrorum anapaesto-iambicorum stichicum Euripides non eodem tempore instituit, quo, Pindari exemplum sequens, iambos cum anapaestis connectere coepit. Quam compositionem notavi iam Heracl. 781—783:

ἀνεμόεντι δ' ἐπ' ὄχθῳ	$2\mathrm{i}_{\mathrm{H}}$
ὀλολύγματα παννυχίοις ὑπὸ παρ-	2 an
θένων ἰαχεῖ ποδῶν κρότοισιν.	i + ityph.

Hoc loco complura metra iambica cum anapaestis connexa sunt, ut apud Pindarum fgm. 105, 4—5 et fgm. 107[a], 4, neque monometer anapaesticus iambis antecedit, sed dimeter. Eodem modo res se habet Andr. 860—865:

ἢ δούλα δούλας γόνασι προσπέσω;	2 dochm.
Φθιάδος ἐκ γᾶς	an
κυανόπτερος ὄρνις εἴθ' εἴην,	2 an
ἢ πευκᾶεν	an
σκάφος, ἃ διὰ Κυανέας ἐπέρασεν ἀκτὰς	2 an + i
πρωτόπλοος πλάτα.	dochm.

Qua in tragoedia primum dimetri anapaestici exemplum Euripideum supra notavimus (v. 296 = 304, pag. 17). Primis igitur temporibus iambica metra cum dimetris anapaesticis Euripides copulabat. Hic usus tertium occurrit Herc. 1016—1020, ubi purum metrum iambicum sequitur dimetrum anapaesticum:

ὁ φόνος ἦν ὃν Ἀργολὶς ἔχει πέτρα 2 dochm.
τότε μὲν περισαμότατος καὶ ἄπιστος Ἑλλάδι 2 an + i_{8A}
τῶν Δαναοῦ παίδων· τάδε δ' ὑπερέβαλε, παρ- 2 dochm.
έδραμε τὰ τότε κακά. dochm.

Ex hac compositione dimetros anapaesto-iambicos evasisse inde apparet, quod synaphia post metrum iambicum corrupta est, quam licentiam post dimetrum illum saepius admissam vidimus. Idem etiam hac re comprobatur. Dimeter enim anapaesticus iambis antecedit solis illis tribus locis, quos modo attuli; qui omnes in vetustioribus fabulis exstant; recentioris aetatis tragoediae, quarum prima est Ion, dimetrum anapaesto-iambicum praebent. Quae forma quod iam Andr. 279 (supra pag. 22) occurrit mireris; sed antecedit monometer anapaesticus, quem compositioni anapaesto-iambicae praemissum iam apud Pindarum invenimus (fgm. 107ᵃ, 3). Monometer antecedit etiam Ion. 1466 (pag. 20) et Hel. 644 (pag. 22)[34].

Ita res se habet de dimetris anapaesto-iambicis. Dimetros anapaesticos utrum Sophocles invenerit an Euripides, adhuc dubitabamus (cf. supra pag. 19). Nunc huius quoque formae usum ab Euripide institutum esse haec res demonstrabit. Pindarum, quod scimus, Euripides primis temporibus ea re sequebatur, quod iambos cum anapaestis coniungebat. Anapaesticum membrum, quod iambis praecedebat, dimeter ille anapaesticus erat, quem eodem tempore Euripides adhibere coepit. Huius dimetri singulos pedes anapaesticos aut puros formabat aut spondeos substituebat; dactylicam formam nunquam admittebat. Hac quoque re exemplum sequebatur Pindari, quippe qui nunquam longam anapaesti syllabam in duas breves dissolvisset. Itaque, cum Euripides primus usum Pindaricum in carminibus suis imitatus sit, dimetros quoque anapaesticos ab Euripide inventos esse verisimile est, quippe in quibus formandis Pindari auctoritas non nihil valuerit[35].

---

[34]) Metrum anapaesticum duobus locis antecedit dimetro anapaesto-spondeio, quam compositionem Euripides ipse invenisse videtur (Herc. 1206. Phoen. 184). Dimetrum anapaesticum spondeus sequitur Hel. 687, monometrum, dochmiis antecedentibus, Phoen. 105.

[35]) De origine dimetrorum anapaesticorum aliud iudicium fortasse is facit, qui Stesichoreae Geryoneidis hoc fragmentum legit (fgm. 5 Hiller[4]-Crusius 1907):

σκύφιον δὲ λαβὼν δέπας ἔμμετρον ὡς τριλάγυνον an + paroem.
πι' ἐπισχόμενος, τό ῥά οἱ παρέθηκε Φόλος κεράσας. an + 2 an.

Hoc enim loco dimeter ille, quem ab Euripide primo formatum esse modo

Adhibuit igitur Euripides in recentiorum fabularum canticis monometros anapaesticos, paroemiacos, dimetros anapaesticos et anapaesto-iambicos. Has formas omnes praecipue eis locis collocavit, quibus magna cum animi concitatione aliquid recitabatur. Talibus locis monometros, quippe qui ex threneticis carminibus sumpti essent, iam ab Aeschylo usurpatos esse supra vidimus (pag. 11). Saepissime dochmii cum formis anapaesticis compositi sunt; idem enim ἦθος, ut Graeca voce utar, dochmiis erat et anapaestis. Non igitur anapaesticae formae lyricae dochmiorum loco adhibebantur, perpaucis locis exceptis, quibus singularia metra anapaestica inter dochmios occurrunt, velut Herc. 1085 (pag. 13).

Quod ita esse Aristophanes[36]) demonstrat, qui nonnullis locis rationem cantica componendi Euripideam per ludibrium imitatur. Sine dubio animo eius, cum scribebat Nub. 1161—1170, locus ille Hec. 171 sqq.[37]) obversabatur; sed metrorum compositione Polymestoris cantilenam imitatus est, quam supra (pag. 12) descripsimus:

Στρ. . . . πρόβολος ἐμός, σωτὴρ δόμοις, ἐχθροῖς βλάβη,	3i
λυσανίας πατρῴων μεγάλων κακῶν·	2 dochm.
ὅν κάλεσον τρέχων ἔνδοθεν ὡς ἐμέ.	2 dochm.
ὦ τέκνον, ὦ παῖ, ἔξελθ' οἴκων,	2 an
ἄιε σου πατρός. — Σωκρ. ὅδ' ἐκεῖνος ἀνήρ.	2 an
Στρ. ὦ φίλος, ὦ φίλος.	an
Σωκρ. ἄπιθι λαβὼν τὸν υἱόν [σου].	2i
Στρ. ἰὼ ἰώ, τέκνον· ἰὼ ἰοῦ ἰοῦ.	2 dochm.

---

diximus, iam occurrere videtur. Wilamowitzius quidem has formas dactylicas esse putat, cum Geryoneis ex dactylo-epitritis composita sit (cf. comment. ad Hipp. 161—169, pag. 195); sed iam supra (pag. 20, annot. 29) Soph. Trach. 497 sqq. attuli, ubi anapaesto-iambi formis dactylo-epitriticis inserti videntur esse. Itaque haud scio, an dimetri anapaestici et formae anapaesto-iambicae e carminibus dactylo-epitriticis progressa sint. Neque vero hoc opusculo de ea re disputandum est. Undecumque dimetri anapaestici prodierunt, sive e compositionibus dactylo-epitriticis sive ex Euripidis officina, servatur Euripidi ea laus, quod dimetros anapaesticos, ut anapaesto-iambicos, ipse primus et sensu et arte metrica ita a membris quae circumstabant seiunxit, ut quasi στίχοι fierent.

[36]) Aristophanis locos quos attuli e canticorum editione Schroederiana (1909) sumpsi.

[37]) ἅγησαι τᾷ γηραίᾳ | πρὸς τάνδ' αὐλάν· ὦ τέκνον, ὦ παῖ | δυστανοτάτας ματέρος, ἔξελθ' | ἔξελθ' οἴκων ἄιε ματέρος | αὐδάν . . .

Thesm. 1015 sqq. Aristophanes Mnesilochum Andromedae Euripideae monodiam decantantem inducit. V. 1040 singularem monometrum anapaesticum dochmiis immiscuit, ut Euripides Herc. 1085 (pag. 13):

	ἀπὸ δὲ συγγόνων τάλαν' ἄνομα πάθεα	2 dochm.
	φῶτ' ἀντομένα, πολυδάκρυτον Ἀι-	an + dochm.
	δα γόον φλέγουσα,	ithyph.

Reliquorum locorum, quibus formas Euripideas Aristophanes adhibuit, altero dochmii plane desunt (Av. 1313—1322):

Χορ.	ταχὺ δὴ πολυάνορα τάνδε πόλιν	2 an
	καλεῖ τις ἀνθρώπων·	2i
	τύχα μόνον προσείη.	2i
	κατέχουσι δ' ἐρῶντες ἐμᾶς πόλεως.	2 an
Πει.	θᾶττον φέρειν κελεύω.	2i
Χορ.	τί γὰρ οὐκ ἔνι ταύτῃ	reiz
	καλὸν ἀνδρὶ μετοικεῖν;	reiz
	Σοφία, Πόθος, ἀμβρόσιαι Χάριτες,	2 an
	τό τε τῆς ἀγανόφρονος Ἡσυχίας	2 an
	εὐήμερον πρόσωπον.	2i

Altero loco (Ran. 1331 sqq.), quo Aeschylum Euripidis monodias per ludibrium imitantem facit, permulti anapaesti occurrunt, unus dochmius; cf. 1331 sqq.:

	ὦ Νυκτὸς κελαινοφαὴς	dim. chor.
	ὄρφνα, τίνα μοι	an
	δύστανον ὄνειρον πέμπεις ἐξ	2 an
	ἀφανοῦς Ἀΐδα πρόμολον, ψυχὰν	2 an
	ἄψυχον ἔχοντα μελαίνας	paroem.
	Νυκτὸς παῖδα	an[38])
	φρικώδη δεινὰν ὄψιν,	paroem.
	μελανονεκυείμονα,	dochm.
	φόνια φόνια δερκόμενον	dim. chor.
	μεγάλους ὄνυχας ἔχοντα;	2 i
et 1349 sqq.:		
	κλωστῆρα ποιοῦσ', ὅπως	2i
	κνεφαῖος εἰς ἀγορὰν	dim. chor.

[38]) Vv. 1335/6 Schroederi digessionem non laudo, qui ita versus disposuit:

Νυκτὸς παῖδα φρικώδη δεινὰν ὄ-	2 dochm.
ψιν μελανονεκυείμονα,	glyc.SA
φόνια . . .	

φέρουσ' ἀποδοίμαν. reiz.
ὁ δ' ἀνέπτατ' ἀνέπτατ' ἐς αἰθέρα an + i_{SA} [39]
κουφοτάταις πτερύγων ἀκμαῖς, glyc.
ἐμοὶ δ' ἄχε' ἄχεα κατέλιπε, 2i
δάκρυα δάκρυά τ' ἀπ' ὀμμάτων, 2i
ἔβαλον ἔβαλον ἁ τλάμων. 2i

Hi Ranarum versus satis demonstrant Euripidem ab aequalibus suis inventorem existimatum esse formarum anapaesticarum; quas sive ipse invenit sive aliunde sumpsit, primus stichico cuidam usui ita appropinquavit, ut quasi versus populares efficeret.

Ex eis quae Euripidem sequuntur temporibus praeter perpauca eaque minima fragmenta nihil nobis servatum est, unde novi quicquam de anapaestorum usu percipiatur. Tamen etiam fragmenta afferam, ut videas, quo modo Euripidis formae, quas observavimus, a posterioribus poetis adhibitae sint.

Ac primum quidem fragmentum illud Telestis hymenaei describam, quod Athenaeus nobis tradit XIV 637 a (corr. Wilam. in Timothei Persarum editione pag. 30, 1):

ἄλλος δ' ἄλλαν κλαγγὰν ἱεὶς 2 an
κερατόφωνον ἐρέθιζε μαγάδιν, 3 paeon.
ἐν πενταράβδῳ χορδᾶν ἀριθμῷ 2 an
χέρα καμψιδίαυλον ἀναστρωφῶν 2 an
τάχος . . . . .

Notae sunt formae anapaesticae vv. 1. 3. 4[40]; v. 2 e tribus paeonibus constat. Paeon metrum anapaesticum sequens e tragoedia notus est (Hel. 644, pag. 22); Alexandrinis temporibus paeon inter anapaestos usitatissimus videtur fuisse. Habemus metrorum compositionem Telestis fragmento simillimam in postremis versibus Ovi quod vocatur Simiae (ed. Wilam. in Bucol. Graec. ed. Ox. pagg. 148/9):

κᾆτ' ὦκα βοᾶς ἀκοὰν μεθέπων ὅγ' ἄφαρ λάσιον
νιφοβόλων ἀν' ὀρέων ἔσσυται ἄγκος· 3 an + 2 paeon + adon.

[39]) Leo ('Die plautin. Cantica u. d. hellenist. Lyrik', Abhdlgn. d. Gött. Ges. d. Wiss., phil.-hist. Kl., N. F. I 7 (1897), pag. 81 sq.) verba ὁ δ' ἀνέπτατ'- πτερύγων tria metra anapaestica esse putat, tum quinque metra iambica ponit, quae sequatur dochmius (ἔβαλον ἁ τλάμων). Quae digessio mihi non probatur ea de causa, quod nusquam apud Euripidem tria metra anapaestica diaeresi non intercedente repperi.

[40]) Monometros anapaesticos notavi etiam Tim. Pers. 99—100; v. 101 paroemiacum habemus; sequuntur dimetri choriambici. Anapaestica metra etiam fgm. 25 Wilam. exstant.

ταῖς δὴ δαίμων κλυτὸς ἴσα θοοῖς <βάδισιν> δονέων
ποσὶ πολύπλοκα μεθίει μέτρα μολπᾶς.

Terni monometri antecedunt binis paeonibus, quos sequitur adoneus.

Haec fragmenta anapaesticarum formarum usum quasi stichicum, quem ab Euripide institutum esse supra diximus (pag. 27), minus manifestum praebent; maiore diligentia Euripidis exemplum secutus est auctor cantilenae illius, quam „Puellae quaerimoniam" inscriptam Wilamowitzius tractavit[41]). Incipit a puris anapaestis eadem ratione dispositis, qua Phoen. 1753/5 et Or. 1434/5 (pag. 18):

ἐξ ἀμφοτέρων	an
γέγον' αἵρεσις· ἐζευγίσμεθα· τῆς	2 an
φιλίας Κύπρις ἔστ'	an
ἀνάδοχος· ὀδύνη μ' ἔχει,	2i

Quater dimetri anapaesto-cretici occurrunt, quos in omnibus fabulis Euripideis modo bis repperimus:

7 ἀκαταστασίης εὑρέτης.
8 χὠ τὴν φιλίαν ἐκτικῶς . . .
15 συνοδηγὸν ἔχω τὸ πολὺ πῦρ . . .
49 σὺ δὲ χρωτίζεσθ' ἀποτρέχεις.

Sed notatu dignum est, quod et spondei pro anapaestis imponuntur, et anapaesticum metrum a cretico per diaeresin seiunctum est, quod Euripides summa diligentia vitavit.

Alia fragmenta anapaestorum usum Alexandrinum demonstrantia non supersunt[42]). Euripidis usum excultum neque

---

[41]) Nachr. d. Gött. Ges. d. Wiss. 1896, 209—233. Cantilenam edidit Crusius, Herondas[4], pagg. 117/20.

[42]) Haec omnia dudum erant perscripta, cum novissima Wilamowitzii dissertatio in publicum prodiit, quae est de fragmento carminis Callimachei in Arsinoae mortem compositi (Sitzgsber. d. Berl. Akad. d. Wiss. XXIX (1912), pagg. 524—544). Hoc fragmentum et aliis de causis et ea re notatu dignum est, quod usum nobis illustrat eius metri, quod adhuc nisi metricorum scriptorum mentione non noveramus, dico Archebuleum, quod Hephaestio cap. VIII e quattuor anapaestis constare docet, quos baccheus sequatur. Exemplum affert v. 1 carminis Callimachei: ἀγέτω θεός, οὐ γὰρ ἐγὼ δίχα τῶδ' ἀείδειν. Sed a spondeo quoque et ab iambo versum incipere licet, quas licentias Hephaestio comprobat his exemplis: νύμφα, σὺ μὲν ἀστερίαν ὑπ' ἅμαξαν ἤδη, et Φιλωτέρα· ἄρτι γάρ οἱ Σικελὰ μὲν Ἔννα, qui sunt vv. 6 et 43 novi fragmenti. Hos versus a Callimacho omnino aliter digestos esse diaeresis docet, quam post pedem tertium

multum mutatum esse cum fragmenta nos docent modo allata tum comoediae Plautinae, quarum partes lyricae finem huius artis Graecae significant[43]).

Per seriorem Alexandrinorum aetatem sola systemata parodorum viguisse videntur. Quae quantum a parodis tragicis discrepuerint, ex fragmento illo Berolinensi cognoscas[44]). Systemata, quae quidem in contextu corrupto cognosci possunt, longissima videntur fuisse; unus enim paroemiacus exstat, et is magnae comprehensionis non in fine, sed in media sententia (a 9)[45]). Ne id quidem parvi momenti est, quod dactylus nisi in priore pede monometri non admittitur. Synaphia summo studio servata est.

---

semper servatam esse fragmentum Callimacheum testatur. (Praeterea persaepe in medio pede altero diaeresis adest; quam notavi vv. 1. 43—44. 48—55. 58. 64—68. 75, ita ut prior pars versus dividatur in duos ionicos per diaeresin seiunctos: ⏕_⏑⏑|_⏑⏑_.) Constat igitur Archebuleum e duabus partibus, quarum posterior est reizianum formae ⏑⏑_⏑_⏓; prior habet formam ⏕_⏑⏑_⏑⏑_, quam prosodiacam vocare liceat (cf. Heph. C 48, 2—7 et fgm. Bob. GL VI 625, 1—6). Prosodiacus quoque, ut reizianum, forma popularis videtur fuisse, quae in tragoediarum partibus lyricis nonnunquam occurrit; cf. Soph. Ant. 354—7 = 365—7, ubi omnes tres prosodiaci formae exstant: καὶ φθέγμα καὶ ἀνεμόεν | φρόνημα καὶ ἀστυνόμους | ἀγορὰς ἐδιδάξατο καὶ | δυσαύλων .... Videtur igitur Callimachus, ut in carmine illo, quod inscribitur παννυχίς, dimetrum iambicum cum ithyphallico coniunctum stichice adhibuit (cf. Wilam. l. c. pag. 540 sq.), ita in nostra cantilena alias duas formas populares composuisse et κατὰ στίχον usurpasse (obversabatur fortasse animo eius Eur. Heraclid. 356 sq. = 365 sq.: μεγαληγορίαισι δ' ἐμὰς | φρένας οὐ φοβήσεις = καὶ ἐμᾶς χθονὸς ἀντομένους | ξένος ὢν βιαίως). Recentiores demum scriptores metrici, quippe qui veram formarum radicem non iam intellegerent neque diaeresin respicerent, falsam versus digessionem instituerunt. — Callimachus, ut Wilamowitzius (l. c. pag. 541 sq.) docet, 'inventor' est etiam metri quod Cyrenaicum vocat anonymus Oxyrhynchius (Pap. Oxy. vol. II, n. 220, col. XI), quod habet formam ⏑⏑_⏑⏑_⏑_⏑_. Quam poeta sine dubio ex Euripide sumpsit; est enim dimeter anapaesto-iambicus, quem in canticis Euripideis saepe observavimus. Non igitur 'invenit' Callimachus hoc metrum, sed primus stichice adhibuit. Sed recentiores quoque poetas a scriptoribus metricis ut 'inventores' formarum quarundam celebratos esse, cum revera ex antiquissimo thesauro auctorum lyricorum et scaenicorum sumerent, cap. V intellegemus.

[43]) Cf. Leo, Abhdlgn. d. kgl. Ges. d. Wiss. z. Gött., N. F. I 7 (1897), pag. 61 sqq.

[44]) Cf. praefat., annot. 1.

[45]) Neque vero ea neglegenda sunt, quae Wilamowitzius pag. 139 de hac re annotavit. Vide etiam W. Schubart, Papyri Graecae Berolinenses (1911), pag. XII—XIII (n. 11 b). Cf. nos cap. II, annot. 6.

Ampliora monumenta anapaestica ex Senecae aetate supersunt. Quorum artem metricam priusquam tractamus, de anapaestis observationes explicemus grammaticorum illorum, quos Alexandrinis temporibus leges metricas ex usu tragico derivavisse notum est.

Caput. II.

De Alexandrinorum et Stoicorum praeceptis metricis ad anapaestos pertinentibus[1]).

Viri docti Alexandrini et Stoici, quos aetate Alexandrina rei metricae studuisse constat[2]), num ipsi de arte metrica libros composuerint, dubium est. Alexandrinis praecipue res metrica nihil erat, nisi pars interpretationis, ita ut, si quid video, observationes metricas explanationibus suis, quibus verba poetarum illustrarent, immiscere satis haberent. Aliter fortasse res se habuit de Stoicis, qui de re metrica philosophari, ut ita dicam, malebant, quam leges distinctiores constituere. Neque vero Alexandrinae aetatis studiorum metricorum monumenta ipsa nobis servata sunt; quid? ne eos quidem libros habemus, quibus primis principatus Romani temporibus doctrina metricorum Alexandrinorum integra demonstrata est; supersunt huius disciplinae nonnulla enchiridia recentiorum temporum, quae vetera eaque bona novis rebus eisque deterioribus permiscuerunt. Quod attinet ad Stoicam doctrinam, libri metrici qui exstant aut mutilati sunt aut Alexandrinis praeceptis permixti. E rerum tam variarum acervo nos hoc capite ea sola colligamus, quae Alexandrini ipsi et Stoici de anapaestis docuisse videntur. Quae quo modo temporibus labentibus mutata et depravata sint novisse non parvi est momenti posteaque tractabitur, cum monumenta anapaestica ipsa inspexerimus; neque enim antea novas leges, quae primis Christiani aevi temporibus de anapaestis constitutae sunt, plane cognoscere possumus.

Ac primum quidem de Alexandrinorum studiis ad anapaestos pertinentibus disputemus. Quos de anapaestis lyricis,

---

[1]) Metricorum scriptorum praecepta ex his libris collegi: Hephaestio ed. Consbruch 1906 (= . . . C) et Grammatici Latini ed. H. Keil, vol. I et vol. VI (= . . . GL I . . . et . . . GL VI . . .).

[2]) Leo, Die beiden metrischen Systeme d. Altertums, Herm. XXIV (1889), 280—301.

quos Euripides in canticis adhibuit, nihil proprii docuisse inde apparet, quod dactylicam formam anapaestorum legitimam ubique agnoscunt. Quod hi loci demonstrant: Heph. 24, 13—15 C: τὸ δὲ ἀναπαιστικὸν κατὰ πᾶσαν χώραν δέχεται σπονδεῖον, ἀνάπαιστον, σπανίως δὲ καὶ προκελευματικόν, παρὰ δὲ τοῖς δραματοποιοῖς καὶ δάκτυλον. Mar. Victor. GL VI 75, 10—12: *recipit autem id metrum pedes quattuor spatio temporum pares, syllabarum numero dispares, spondeum, qui est anapaesti collectio, dactylum, proceleumaticum et eundem anapaestum.*

Hunc dactylum nisi in priore monometri pede collocare non licere docebant Alexandrini; quod testatur Diom. GL I 504, 32—35: *sed dactylum nunquam recipit nisi in dextris pedibus, vel quemque ex illis aliis*[3]); *in sinistris vero quem libet ex tribus, pro ut res exegerit, extra dactylum, spondeum tribrachyn anapaestum*[4]). Hic quidem testis Stoicus est; sed Stoici doctrinam ab Alexandrinis sumpserunt, quod ex scholio Hephaestioneo apparet 131, 13—24 C: Ζητεῖται πῶς τὸ ἀναπαιστικὸν ἐδέξατο τὸν ἀντίπαλον δάκτυλον καίτοι τὸν ἀνάπαιστον μὴ δεξαμένου τοῦ δακτυλικοῦ. φαμὲν οὖν, ὡς τὸ μέν ἐστι καθαρὸν καὶ μόνου ἀνεχόμενον σπονδείου ἰσοχρόνου τε καὶ ὁμοίως ἀρχομένου, τὸ δὲ ἀναπαιστικὸν εἰσεδέξατο καὶ τὸν προκελευσματικόν· ἔστιν οὖν ἐν αὐτῷ καὶ ὁ δάκτυλος ἢ σπονδεῖος ὢν διαλελυμένος ἢ προκελευσματικὸς συνῃρημένος. ἄλλως τε, κατὰ διποδίαν βαινόμενος διὰ τὴν μῖξιν τόπον ἔσχε † μαθεῖν, ὅτι ἐν ἡρῴῳ δακτύλῳ ἐπαγόμενος ἀνάπαιστος χαυνότητα ποιεῖ διὰ τὸ ἀλλεπάλληλον τῶν βραχειῶν, ἐν μέντοι ἀναπαιστικῷ ὁ δάκτυλος κεκρυμμένην τὴν σύνταξιν ποιεῖται τῆς μίξεως. Verba inde ab ἄλλως τε, quantum quidem contextus corruptus cognosci sinit, ita interpretanda sunt: In hexametro heroo si anapaestus dactylis immisceretur, diversorum metrorum breves syllabae sibi occurrentes aures obtunderent; in anapaesticis autem versibus, cum κατὰ διποδίαν digerantur, dactyli cum anapaestis compositio non sentitur, cum dactylus quasi lateat dipodia. — Hoc nullo modo fieri potest, si monometri pedem posteriorem dactylus obtinet, insequitur

---

[3]) I. e. praeter dactylum in dextro pede etiam spondeum, tribrachyn, anapaestum recipit metrum anapaesticum.

[4]) Verbo 'dexter' Stoicos pedem priorem, verbo 'sinister' posteriorem significasse fragmentum Berolinense demonstrat, quod Stoicam doctrinam praebet (Berl. Klass. Fgm., vol. V 2, pagg. 140—142, ubi vide Wilamowitzium disputantem).

alterum metrum anapaesticum; sed necesse est dactylum priorem locum obtinere. Constat igitur iam Alexandrinos docuisse dactylicam formam anapaesti nisi in priore pede metri anapaestici non esse admittendam.

Hac lege, quam de dactylo constitutam fuisse vidimus, apparet anapaestos ab Alexandrinis κατὰ μέτρον digestos fuisse. Quod litteris testatum habemus schol. Heph. 275, 15 C: τὸ δὲ ἀναπαιστικὸν κατὰ διποδίαν βαίνεται. Qui usus qua de causa receptus sit fusius explicatur Mar. Victor. GL VI 76, 22—27 (cf. schol. Heph. 132, 3—16 C): *Scio quaesitum, cur dactylicum singulis pedibus, anapaesticum per syzygian scandatur, cum inter se omnifariam congruant. persuasum est nullum metrum hexametro posse esse maius; igitur cum anapaesticus versus et septem et octo pedum reperiatur, placuisse maioribus eum per syzygias caedi, non alias quam si dactylicus supergrederetur hexametrum, utique per syzygias scanderetur.*

Legem de diaeresi ab Alexandrinis non neglectam fuisse intellegitur e Mar. Victor. GL VI 77, 2—6: *anapaesticon melos binis pedibus amat sensum includere, ut est apud Accium «inclyte, parva / praedite patria, / nomine celebri / claroque potens / pectore, Achivis / classibus auctor.»*

Iam videamus, quid de systematibus quae G. Hermann vocavit[5]) anapaesticis docti viri Alexandrini docuerint. Qui omnes compositiones metricas, quae per synaphiam continebantur, appellabant periodos. Tales periodi si plus triginta tempora habebant, ὑπέρμετρα vocabantur, si minus, μέτρα. Quod ita constitutum erat hac de causa. Carmina stichice composita ita describebantur, ut singuli στίχοι singulos versus obtinerent. Στίχων longissima est forma tetrametri anapaestici catalectica, cui nomen est Aristophaneum. Hic versus e triginta temporibus constat. Carmina polymetra aliaque, quae non stichice composita erant, κατὰ περιόδους describebantur; nova periodus novum versum incipiebat. Sed cum horum carminum periodi saepissime plus triginta tempora continerent, eodem versu tota periodus scribi non poterat; superabat enim στίχου sive metri longissimi amplitudinem; appellabatur igitur ὑπέρμετρον. E talibus hypermetris unum erat ὑπέρμετρον ἀναπαιστικὸν parodorum, quod

[5]) Vide Rossbach-Westphal, Theorie der musischen Künste der Hellenen, III 1 (1887), pag. 184. Quo libro ea, quae de parodorum anapaestis dicturi sumus, optime illustrata sunt.

Hephaestio vocat σύστημα ἐξ ὁμοίων κατὰ περιορισμοὺς ἀνίσους; cf. 70, 8 C.: κατὰ περιορισμοὺς δὲ ἀνίσους ἐστίν, ὁπόσα ἐξ ὁμοίων συνεστῶτα ἔχει κατάληξιν ἢ βραχυκαταληξίαν μεταξύ, οὐ μέντοι ἴσοις μεγέθεσι ταύτην ἐπιζευγμένην ἀεί· οἷα μάλιστα φιλεῖ γίνεσθαι ἐν τοῖς παρόδοις τῶν χορῶν. Hypermetra autem, ut metra, e membris quibusdam composita esse scriptores metrici docebant, quae κῶλα vocabant. Haec cola plus sedecim tempora nunquam habebant; metrum enim ex duobus colis subsistere nec provehi longius Mar. Victor. docet GL VI 83, 4; longissimum autem metrum tetrametri anapaestici forma catalectica est, quae triginta tempora continet. Singula metra anapaestica ex octonis temporibus constant; bina igitur metra κῶλον appellabantur in hypermetris anapaesticis. Minus tria cola hypermetrum continere non poterat; δίκωλον enim metrum est Aristophaneum. Hypermetra autem parodorum anapaestica περίοδοι vocabantur τρίκωλοι, τετράκωλοι, πεντάκωλοι[6]). Apparet igitur hypermetra anapaestica iam Alexandrinis nihil aliud visa esse, nisi Aristophaneum ad quamlibet longitudinem productum; itaque quod de synaphia in hypermetris observanda nihil dixerunt neminem offendit; neque enim metron neque hypermetron, quippe quae periodi essent, synaphia neglecta fieri poterant. Tamen de synaphia pauca legimus apud Terentianum Maurum, ubi de ionico metro disputat (GL VI 370, vv. 1512/7): *metron autem non versibus istud numero aut pedum coartant, sed continuo carmine quia pedes gemelli*[7]) *urgent brevibus tot numero iugando longas, idcirco vocari voluerunt* συνάφειαν. *anapaestica fiunt itidem per* συνάφειαν. Ad

[6]) Interdum etiam singula metra anapaestica κῶλα formabant, cum numerus monometrorum impar paroemiaco antecedebat. Nos systemata anapaestica ita typis describere solemus, ut singula cola singulos versus obtineant. Alexandrini editores καθ' ὑπέρμετρα, ut ita dicam, parodorum anapaestos disponebant; ea cola, quibus periodus longitudinem versus superabat, proximo versu scribebantur; 'ἀπόθεσις' tum fiebat, cum catalexis finem periodi indicabat (cf. Rossbach-Westphal, pag. 185). Papyri illius Berolinensis, quam saepius commemoravimus (cap. I, annot. 1 et 41/2), scribam ne catalexis quidem commovit, ut 'ἀπόθεσιν' faceret; qui periodi finem duobus punctis (:) significare satis habuit (col. I 9). Sed etiam post metra acatalectica, dummodo sententiae finis adesset, hanc interpunctionem adhibuit (col. I 6). Cum hac re consentit, quod Mar. Victor. exemplum Accianum, quod supra (pag. 32) attuli, periodum vocat, quamquam caret paroemiaco.

[7]) Putat enim ionicum ex dibrachy et spondeo compositum esse; cf. Rossbach-Westphal, pag. 183, annot. 1.

synaphiae legem etiam vox illa pertinere videtur στάσιμα, qua Mar. Victor. 76, 28 et 77, 10 Accii periodum illam vocat, quam descripsi pag. 32 [8]). His rebus satis apparet systematum quae nos dicimus anapaesticorum naturam Alexandrinis non ignotam fuisse.

Accedamus ad formas catalecticas, quas esse sex Hephaestio docet 24, 15—19 C: εἰσὶ δὲ αὐτοῦ ἀποθέσεις ἓξ κατὰ συζυγίαν διαιρουμένου· ὑπερκατάληκτος εἰς δισύλλαβον, ὑπερκατάληκτος εἰς συλλαβήν, ἀκατάληκτος, καταληκτικὴ εἰς δισύλλαβον, καταληκτικὴ εἰς συλλαβήν, βραχυκατάληκτος. Tamen mihi dubium non est, quin Alexandrini viri docti, si ipsi has formas omnes enumeraverunt, eam solam fusius tractaverint, quam καταληκτικὴν εἰς συλλαβὴν Hephaestio appellavit, quippe quam solam a poetis lyricis tragicisque passim adhibitam invenerint. Quae opinio confirmatur ea re, quod Hephaestio et Marius Victorinus, qui soli doctrinam Alexandrinam integriorem servaverunt, nulla alia exempla afferunt, nisi paroemiaci et Aristophanei et trimetri catalectici, quem Hephaestio a Simia Rhodio stichice usurpatum (26, 14—16 C) [9]), Marius Victorinus ab Alcmane primo adhibitum esse dicit (GL VI 77, 14—31). Quod attinet ad reliquas formas quinque, non facile diiudicari potest, utrum Alexandrini formas quasdam lyricas, quae anapaestorum similitudinem praebebant, pro anapaesticis versibus catalecticis habuerint, an eas tantum formas, quae catalecticae formari possent, enumeraverint. Non facile docti viri Alexandrini errorem committebant in formis

---

[8]) Vide quo modo Westphal στάσιμα vocem interpretatus sit pag. 183, annot. 3.

[9]) Exemplo Graeco, quod codices exhibent, si anapaestice digerere studemus, desunt aut duae syllabae breves aut una longa:

.. ἱστία ἁγνά, ἀπ' εὐξείνων μέσα τοίχων
⏔‿‿ _|‿ ‿ _ _ _|‿‿ _ _

Sunt qui contextum mutaverint, ut restituerent trimetrum anapaesticum catalecticum; pro εὐξείνων legitur ἐϋξείνων, Bergk pro ἀπ' coniecit σ' ἅτ'. Neque vero, si verbum aliquod, velut κατέχουσα, in versu proximo exstitisse supponimus, sensus quicquam desiderat, neque ulla coniectura opus est, si dactylice versum digerimus: _́‿‿_́‿‿_́__́‿‿_́_. Habemus pentametrum dactylicum catalecticum, ex quo Simiam Rhodium carmina confecisse Hephaestio testatur 21, 10—12, exemplo nisus hoc: χαῖρε, ἄναξ, ἕταρε Ζαθέας μάκαρ ἥβας. Mihi quidem versus quem legimus 26, 16 ex carmine dactylico depromptus videtur esse, neque vero ab Hephaestione ipso, ut qui de anapaesticis versibus ageret, sed a scriba aliquo, qui, cum exemplum formae anapaesticae desideraret, falso, sive quod rem de qua agitur neglegens nomini tantummodo Simiae rationem habebat, sive quia dactylos pro anapaestis habebat, alienum versum adscripsit.

metricis diiudicandis; quod apparet ex Heph. 35, 10—11 C, ubi Telesilleum non versus anapaestici formam catalecticam iudicaverunt, sed ionicum a maiore esse recte intellexerunt. Ubi vero erraverint opinari possumus, si fragmentum Bobiense quod vocatur respicimus (GL VI 624, 27—625, 6): *dimetrum brachycatalectum*: »*super ardua fertur equis*«. *ab hoc metri genere distat versus, qui prosodiacus nominatur et est varius, quod in principio non anapaestum, sed iambum pedem aut spondium accipiat et duobus sequentibus anapaestis terminetur, ut est iambo*: »*quis inter aves melicas*« *et spondio*: »*cantu* *«. Ex mea sententia Alexandrini eas formas lyricas, quae aliquam anapaestorum similitudinem praebebant et ab anapaesto incipiebant, inter anapaesticos versus catalecticos enumerabant. Habebant igitur pro dimetro hypercatalecto in syllabam versum velut Eur. Ion. 480: ἑτέροις ἐπὶ τέκνοις, sed pro forma ionica Eur. Andr. 280: σταθμοὺς ἐπὶ βούτα; pro dimetro in bisyllabum hypercatalecto Eur. Ion. 468: ἱκετεύσατε δ', ὦ κόραι, sed pro forma ionica Telesilleum; pro dimetro brachycatalecto Eur. Iph. Taur. 1265: τά τ' ἔπειθ' ὅσ' ἔμελλε τυχεῖν, pro prosodiaco velut αὐτὰ δέ σu Καλλιόπα (48, 7 C); pro dimetro catalectico in bisyllabum Eur. Phoen. 163: ποσὶν ἐξανύσαιμι δι' αἰθέρος. Quas formas neque dactylum umquam praebere neque diaereseos lege digeri sine dubio Alexandrinos non fugiebat; sed cum formae rarissime adhiberentur, has discrepantias non magni momenti putavisse videntur, ut qui et paroemiacum pro forma catalectica dimetri anapaestici haberent, quamquam diaeresi saepissime carebat.

Quae cum ita sint, Alexandrinos dimetrum illum anapaesticum, quem in canticis Euripideis observavimus, quamquam et diaeresi carebat neque ferebat dactylum, non a parodorum dimetro differre putavisse credas. Tamen eos non nihil de hac forma dixisse duo loci mihi persuadent, Mar. Victor. GL VI 76, 28—77, 13 et Dionys. Halic. de comp. verb. 70, 17—71, 17 (ed. Us.-Raderm.), quorum ille haec docet: *Hoc loco dicam, cur, cum sint duae periodi seu stasima, ut quidam vocant, pari inter se coniugatione copulata, alterum vocetur anapaesticon, alterum dactylicon, cum aeque in utraque cadant mixti dactylus et anapaestus. causa talis, quod anapaesticon melos binis pedibus amat sensum includere, ut apud Accium*:

inclyte, parva praedite patria
nomine celebri claroque potens
pectore, Achivis classibus auctor.

quae periodos circa sex versatur dipodias. contra Pacuvius novare propositum volens noluit intra binos pedes, ut superius, finire sensum, sed secundum Euripidem dactylicum metrum, quod appellatur, induxit, ut nominis mutatio diversitatem daret, huius modi stasimo seu periodo usus:

agite, ite, <e>volvite, rapite coma,
tractate per aspera saxa et humum,
<di>scindite vestes ocius <nunc>[10].

Euripides aliquid novum invenisse a Mario perhibetur, cum non iam sensum singulis metris terminarit; id quidem optime cum eo consentit, quod de anapaesticis dimetris lyricis observavimus; non congruit, quod haec forma dactylos anapaestis immixtos admittere dicitur. Non apparet praeterea, qua de causa systema dactylicum vocatum sit; neque enim quisquam rationem a Victorino allatam veram putabit. Lucem mihi afferre videtur Dionysius, qui haec dicit: ὁ δὲ προλαμβάνων τὰς δύο βραχείας ἀνάπαιστος μὲν καλεῖται, σεμνότητα δ' ἔχει πολλήν· καὶ ἔνθα δεῖ μέγεθός τι περιτιθέναι τοῖς πράγμασιν ἢ πάθος, ἐπιτήδειός ἐστι παραλαμβάνεσθαι· τούτου τὸ σχῆμα τοιόνδε· »βαρύ μοι κεφαλᾶς ἐπίκρανον ἔχειν«. ὁ δὲ ἀπὸ τῆς μακρᾶς ἀρχόμενος, λήγων δὲ εἰς τὰς βραχείας δάκτυλος μὲν καλεῖται . . . (10) οἱ μέντοι ῥυθμικοὶ τούτου τοῦ ποδὸς τὴν μακρὰν βραχυτέραν εἶναί φασι τῆς τελείας, οὐκ ἔχοντες δ' εἰπεῖν ὅσῳ, καλοῦσιν αὐτὴν ἄλογον. ἕτερός ἐστιν ἀντίστροφον ἔχων τούτῳ ῥυθμόν, ὃς ἀπὸ τῶν βραχειῶν ἀρξάμενος ἐπὶ τὴν ἄλογον τελευτᾷ· τοῦτον χωρίσαντες ἀπὸ τῶν ἀναπαίστων κυκλικὸν καλοῦσι παράδειγμα αὐτοῦ φέροντες τοιόνδε· »κέχυται πόλις ὑψίπυλος κατὰ γᾶν«. Tenemus dimetrum illum diaeresi carentem. Quem ea re a parodorum dimetro differre Dionysius docet, quod longa syllaba brevior sit, quam duae breves; idem de metro dactylico rhythmici docuisse dicuntur[11]. Quid verisimilius est, quam hac de causa periodum illam dimetrorum diaeresi carentium dactylicam esse appellatam? Sed haec doctrina

---

10) <e>volvite coni. — V. 3. corr. H. Keil.

11) Haec ἀλογία num non modo ad epici hexametri dactylos pertineat, sed etiam ad eas formas dactylicas, quae in canticis adhibebantur, difficillimum est ad diiudicandum. Rossbach-Westphal, Theorie der musischen Künste der Hellenen, III 1 (1887), pagg. 13—26 syllabas ἀλόγους ad dactylos qui canebantur pertinere negat. Quam sententiam equidem, lyrici dimetri anapaestici exemplo nixus, non iam veram putare possum, cum hic dimeter in partibus tragoediarum, quae pronuntiabantur, non occurrat.

apud rhythmicos scriptores orta est, non apud metricos Alexandrinos. Restat igitur hoc loco Dionysii observatio quaedam singularis rhythmorum, quae arte musica vigente instituebatur, ubi primum cantica illa non iam cantata sunt, nihil valebat. Docti viri Alexandrini omni observatione rhythmorum reiecta arti metricae operam dederunt; qua re factum est, ut, qua ratione systema illud dactylicum appellatum esset, non iam intellegerent. Qui cum nihil iam viderent, nisi diaeresin deesse, ea de causa appellationem ortam esse putabant. Restat, ut quaeramus, qua re factum sit, ut Victorinus dactylicam anapaesti formam non modo in anapaestico, sed etiam in dactylico quod vocatur systemate adhiberi dicat, cum Euripides praeter spondeos et ipsos anapaestos alias formas non admiserit. Mea quidem sententia ita res se habet: Docti viri Alexandrini nihil curabant, utrum dactylus adesset necne, quod iam de formis illis vidimus, quas catalecticas vocabant (pag. 35). Poetae autem Latini, qui formarum varietatem a Graecis susceperunt, sed multo liberius singula metra variabant, quam Graeci ipsi, quod de Plauto omnes sciunt, dactylos ubique ferebant, et in anapaestis parodorum et in partibus lyricis. Quo factum est, ut metricus scriptor Latinus, Latino exemplo nixus, in utroque systemate anapaestos et dactylos mixtos esse doceret.

Iam ad Stoicos transeamus. Quos non novas leges rei metricae constituisse inde apparet, quod in omnibus rebus, quas de anapaestis docuerunt, Alexandrinos secuti sunt. Idem enim de dactylo, idem de digessione κατὰ μέτρον praecripserunt; quod ex eis, quae supra disseruimus, intellegitur. Sed ea re ab Alexandrinis differebant, quod versuum originem philosophica quadam ratione intellegere studebant. Itaque omnes versus anapaesticos, quos Alexandrini catalecticos vocabant, ex heroo versu derivabant. Vide Mar. Victor. GL VI 123, 5—13, ubi de paroemiaco agitur: *E tribus autem anapaestis coniunctis ultima his syllaba catalectica*[12]) *accedente . . . formabitur epodos ex anapaestico non absone metro heroo respondens, nec immerito: nam retracta heroo penthemimere tome pars eius residua hanc epodum dabit, velut 'vos o Calliope', dehinc 'precor adspirate canenti'. id*

---

[12]) Hic terminus Alexandrinus a Stoicis scriptoribus metricis saepius usurpatur, quamquam ab ipsorum disciplina abhorret; cf. Leo, Ein metrisches Fragm. aus Oxyrhynchos, Nachr. d. Gött. Ges. d. Wiss., phil.-hist. Kl. 1899, pag. 504.

erit [*in*] *anapaestico par ac simile,* »*mea tibia dicere versus*«. *Quod si coniungas, facit* »*vos o Calliope mea tibia dicere versus*«. — Ps.-Censor. GL VI 617, 2 sqq.: *aristophanius fit ex heroico*: »*arma virumque cano Troiae qui primus ab oris*«, »*nunc arma virumque cano Troiae nunc qui nunc primus ab oris*«. Cf. de eodem versu Mar. Victor. GL VI 125, 6—9. De Archebuleo, quam formam logaoedicam Alexandrini appellabant (Heph. 28, 9 sqq. C), Caesius Bassus agit GL VI 256, 11—15: *origo eius herous hexametrus est*; *exemplum* »*tibi nascitur omne pecus, tibi crescit herba*«, *quem facies heroum hexametrum adiectis duabus syllabis sic*: »*nam tibi nascitur omne pecus, tibi crescit et herba*«. Ea igitur re Stoici metrici ab Alexandrinis differebant, quod formas catalecticas alia ratione interpretabantur. Neque enim e versibus integris ortas eas putabant, sed esse ex hexametro aut adiectione aut detractione derivatas. Tamen hos versus e singulis pedibus constare non negabant, quod cognoscimus ex Diomede GL I 512, 36 sqq., qui duos paroemiacos affert: »*agite o pelagi cursores, cupidam in patriam portate*«, de quibus haec dicit: *sunt hic bini anapaesti aut qui recipi solent*[13]), *in imo autem aut bacchius est, qui constat ex duabus longis et brevi, aut molossus, qui constat ex tribus longis.* Summi momenti ea sunt, quae sequuntur: *alienum autem pedem metra nisi recipiant, modus non facile finitur et magis rythmus est quam metron. et Varro dicit inter rythmum, qui Latine numerus vocatur, et metrum hoc interesse quod inter materiam et regulam.* Id igitur Stoicis necesse videbatur, anapaestica metra, ut cetera omnia, alieno pede concludi, qui non anapaestus esset. Talium pedum Diomedes ipse duos commemorat, bacchium et molossum; tertium Victorinus affert GL VI 75, 16—18: *nonnulli in ultima huius*[14]) *sede ionicum minorem recipiunt ea ratione, qua in fine metrum omne varie claudatur*[15]). Hoc igitur modo Stoici paroemiacum digerebant:

⏑⏑ ⏑⏑̲ | ⏑⏑ — ‖ ⏑⏑ — ⏑̲ = an + an + { bacch. / mol. / ion. min. }

Qua re apparet paroemiacum quoque a Stoicis pro versu ex variis metris composito habitum esse. Et haec erat lex gra-

---

[13]) I. e. praeter anapaestos etiam spondei, in dextris pedibus etiam dactyli recipiuntur; cf. annot. 3 (Diom. GL I 504, 32—35).

[14]) Scil. metri anapaestici.

[15]) Victorini auctor Graecus, ut omnes Stoici posteriores, etiam tetrasyllabicos pedes agnovit.

vissima Stoicorum, omnes modos alieno metro finiendos esse; cf. etiam Caes. Bass. GL VI 264, 19—22 (de paeonico metro): *clauditur autem cretico, qui et ipse [constat] eiusdem generis et temporum totidem quod ille, una parcior syllaba est, ne, si fluat eodem numero, rhythmos, non metrum fiat. huius exemplum: »egregia percoluit ingenia musice«.* Qua lege non ab Alexandrinis differebant, qui carmina lyrica catalectice concludenda esse ex usu Graeco cognoverant.

Haec sunt, quae Alexandrinis temporibus metrici scriptores Alexandrini et Stoici de anapaestis docuisse videntur. Quae, ut vidimus, praecipue ad parodorum usum spectant, neglegunt anapaestos, quos lyricos appellavimus. Leges, quas Alexandrini constituerunt, cum eis consentiunt, quae viri docti nostrorum temporum ex anapaestorum observatione dudum cognoverunt. Dactylum nisi in dextro pede, ut Stoicorum verbis utar, non ferri scriptores metrici optimo iure docebant, cum sinistro apud Aeschylum, Sophoclem, Euripidem perraro occurrat [16]). Euripides, qui dactylum saepius posteriore monometri loco adhibet, semper animorum perturbationem significandi gratia id facit, non modo in canticis, sed etiam in systematibus velut Hecubae et Medeae. Fragmentum autem Berolinense, quod est monumentum aetatis Alexandrinae, legem illam a scriptoribus metricis constitutam diligentissime sequitur.

Caput III.

De formis anapaesticis, quas poetae Graeci imperii Romani aetate adhibuerunt.

Primis Christiani aevi saeculis anapaestorum usus plane commutatus est. Quod poetae Stoicam rei metricae doctrinam sequentes effecerunt, qui, ut semper novas formas metricas componere studebant, ita anapaestos nova quadam ratione usurpare conati sunt. Itaque quid Stoici scriptores metrici recentioribus temporibus de anapaestis docuerint primum nobis esse cognoscendum dixerit quis, tum de carminibus anapaesticis agendum, cum capitibus antecedentibus poetarum studia priora tractaverimus, quippe a quibus docti viri aetatis Alexandrinae disciplinam metricam duxerint. Quod nullo modo fieri potest; ea enim, quae Stoici recentiores de anapaestis docuerunt, perraro ad eum usum spectant, qui imperii Romani aetate vulgaris erat,

[16]) Cf. cap. I, annot. 17.

ita ut, priusquam poetarum studia cognovimus, scriptorum metricorum verba intellegere non possimus. Quae cum ita sint, primum cognoscamus, quas formas anapaesticas imperii Romani aetate poetae Graeci adhibuerint. Sed cum, ut fit etiam in doctrina metrica tractanda, res nobis non aperta fiat, nisi Romanorum studiis ascitis, Graecorum carminum tractationi etiam de eis, quae Romani procreaverunt, disputationem addemus.

Ea monumenta, quae anapaesticas formas a Graecis poetis adhibitas exhibent, in duas partes discedunt. Quarum altera tales formas praebet, quales in partibus lyricis tragoediarum praecipue Euripidearum cap. I observavimus. In ceteris monumentis eas compositiones deprehendimus, quas e veteribus exemplis poetae non sumpserunt, sed ipsi novas construxerunt.

Ac primum quidem eas formas tractemus, quas Euripidi poetae recentiores debent. Quas aut stichice adhibebant, aut κατὰ συνάφειαν, ut Terentiani voce utar (cf. pag. 33). Stichice eae formae usurpabantur, quas anapaesto-iambicas vocavi cap. I (⏑⏑_⏑⏑_⏑⏑_⏑_, ⏑⏑_⏑⏑_⏑⏑⏑_), et paroemiacus; κατὰ συνάφειαν acatalectae formae anapaestorum lyricorum componebantur, dico monometros (⏔⏕⏔_) et dimetros Euripideos (⏔_⏔_⏔_⏔_).

Iam de eis monumentis agamus, quae stichicum usum anapaestorum praebent. Dimetrum anapaesto-iambicum formae ⏑⏑_⏑⏑_⏑⏑_⏑_, quem docti viri Alexandrini anapaesticum dimetrum in bisyllabum catalecticum appellabant (cf. pag. 35), una cum paroemiaco stichice adhibitum reperimus in Luciani Tragodopodagra 87—111, quorum describam hos[1]):

τὰν μὲν Κυπρίαν Ἀφροδίταν
σταγόνων προπεσοῦσαν ἀπ' αἰθέρος
ἀνεθρέψατο κόσμιον ἁρμογὰν
ἁλίοις ἐνὶ κύμασι Νηρεύς.
τὰν δ' Ὠκεανοῦ παρὰ παγαῖς
Ζηνὸς παράκοιτιν Ὀλυμπίου
λευκώλενον εὐρέσι κόλποις
Ἥραν ἐτιθήνατο Τηθύς.
κορυφαῖσι δὲ κρατὸς ἐν ἀφθίτου
ἐλόχευσε κόρας ἄτρομον φυὰν
Κρονίδας, μέγ' ἄριστος Ὀλυμπίων,
τὰν ἐγρεκύδοιμον Ἀθάναν.

---

[1]) Luciani quae feruntur Podagra et Ocypus praefatus et commentatus est J. Zimmermann 1909. De versibus nostris disputat pagg. 27—28.

Quae formae κατὰ στίχον usurpatae in fine versuum syllabam ancipitem hiatumque admittunt. Eisdem formis Mesomedes hymnos in Solem et in Nemesin composuit[2]), unde in deorum hymnis illis temporibus hoc metrum usurpatissimum fuisse apparet. Neque enim Luciani canticum aliud est, atque hymnus παρατραγῳδιστὶ in Podagrae laudem compositus. Hunc usum τοῦ παρατραγῳδεῖν iam apud Aristophanem occurrere nemo nescit; qui comicus gravibus illis anapaestis threneticis utitur, cum sacrorum caerimoniam imitatur (Av. 1058 sqq., cf. et Ran. 372 sqq.).

Sed versus anapaesto-iambici, quos apud Lucianum et Mesomedem cum peroemiacis coniunctos deprehendimus, eisdem temporibus etiam soli, paroemiacorum comitatu liberati inveniuntur. E carmine in hunc modum composito fragmentum mihi quidem videntur esse versus illi, qui sequuntur quindecim priores hymni in Nemesin Mesomedis:

Νέμεσιν θεὸν ᾄδομεν ἀφθίταν
νίκην τανυσίπτερον ὀμβρίμαν,
νημερτέα καὶ πάρεδρον Δίκαν,
ἃ τὰν μεγαλανορίαν βροτῶν
νεμεσῶσα φέρεις κατὰ ταρτάρου[3]).

In prioribus enim versibus non plures quam terni dimetri intercedebant binis paroemiacis, in his quinque dimetri paroemiacis deficientibus decurrunt. Itaque hos versus ex alio quodam carmine descriptos esse puto, quod solis dimetris incedebat. Quam opinionem duplici argumento fulcire licet. Ipsa sententia enim versuum exordio quam maxime apta videtur esse; contra is qui antecedit v. 15, idem est atque v. 1; atqui in Philostrati hymno (infra pag. 46) et primus et ultimus versus Thetidis invocatione eadem obtinentur; eadem ergo ratione Mesomedes suum carmen circumscripsisse videtur, ita ut versui 16, quem primum versum alterius carminis diximus, antecedat ultimus prioris, qui est v. 15. Accedit, quod canticum solis dimetris incedens nobis ipsius Mesomedis nomine traditum est in Anthol. Pal. XIV 63. Est aenigma illud de Sphingis figura[4]):

---

[2]) Musici scriptores Graeci rec. C. Janus (1895), pagg. 462—473.

[3]) Codd. νεμεσεωσαφαιρεις και ταρταρου; corr. Bellermann. Ad φαιρεις = φέρεις cf. P. Fay. fgm. II, col. III, v. 6 ἀφειγμαίνοι et v. 12 δαὶ παίτραν.

[4]) Qui praecedunt in codicibus duo versus B. Keil segregavit ut frustula alius cuiusdam griphi; sententia enim eadem, versus diversi:

πτερόεσσα μὲν ἦν τὰ πρόσω γυνά,
τὰ δὲ μέσσα βρέμουσα λέαινα θήρ,
τὰ δ' ὄπισθεν ἑλισσόμενος δράκων.
οὔθ' ὁλκὸς ἀπέτρεχεν, οὐ γυνά,
οὔτ' ὄρνις ὅλον δέμας, οὔτε θήρ,
κούρα[5]) γὰρ ἐφαίνετ' ἄνευ ποδῶν,
κεφαλὰν δ' οὐκ ἔσχε βρέμουσα θήρ.
φύσιν εἶχεν ἄτακτα κεκραμέναν,
ἀτέλεστα τέλεια μεμιγμέναν.

Dimetri anapaesto-iambici paroemiacis carentes etiam in fragmento illo occurrunt, quod nuper publicatum est inter papyros Fayum in urbe inventos[6]):

λοξὴν δ' ἀτράπου τρίβο[ν ἑρπύσας,
τ̣ό̣π̣ον ἦλθε τ̣ὸ̣ν ο̣ὖ̣[τ]ι̣[ς ἀφίκετο,
. . . . .
πολλοὶ δὲ κύνες περὶ τοὺς νεκροὺς
θοίνης χάριν ἦσαν ἀφιγμένοι.
. . . . .
κ[α]ὶ δὴ χθόνα δυστράπ[ελ]ον φθάσας
ἀ̣[σ]χ̣ήμονας ἦλθε πὰρ ἠόνας,
ἔνθεν δὲ πέτρα[ν] καθ[ί]σας ὅτε
κάλαμον μὲν ἔδησε νεκρᾷ τριχί,
δέλεαρ δὲ λαβὼ̣ν κ̣αὶ ψωμίσ[α]ς
ἄγκιστρον ἀνῆκε βαθεῖ βυθ[ῷ̣ [7]).

Iam de dimetris anapaesto-iambicis quod adhuc mentione

ἕρπουσα, πετωμένα, βεβῶσα κούρα,. ‿‿|‿‿|‿‿ — metrical scheme: __◡◡|_◡_◡|_◡_◡̄
νόθον ἴχνος ἀραμένα, δρομαία λέαινα. ◡◡◡◡|_◡◡_|◡◡_◡_◡̄ vel ◡__◡|_◡̄
Prior versus ionici; non secus alter: primum membrum ut fit in his compositionibus decurtatum; choriambum sequitur dimeter aut anaclasi immutatus (si δρομαῖᾱ legis) aut in priore pede in antispastum deformatus (si δρομαῖᾰ legis). Iam igitur tacere licet de correctionibus, quibus editores priores versus ad insequentium normam redigere studebant.

[5]) κόρη cod. cum Bergkio in κούρα mutavi totius carminis usu cogente.

[6]) De hoc carmine disseruit Wilamowitzius in Gött. gel. Anz. 1901, pag. 34 sq. Tales versus et in papyro Heidelbergensi inedito exstare dicuntur; cf. Crusius, Sitzgsber. d. bayr. Akad. d. Wiss. 1904, pag. 358; H. Weil, Journal des Savants 1901, pag. 26.

[7]) Num huic cantico paroemiaci omnino defuerint, equidem diiudicare non audeo. V. 39 ἄλλῳ τινὶ προσπελάσασα paroemiacum esse negari non potest. Hac re Swoboda Wiener Studd. 1905, pag. 301 opinionem confirmavit, fragmento nostro alteram partem hymni Naassenorum servatam esse. Sed cf. quae nos de Naassenorum hymni arte metrica diximus infra pag. 47 sq. et pag. 51 sq.

dignum videtur complectar. Non novae sunt formae; dimetrum iam in tragoedia Graeca paucis locis invenimus; paroemiacus ab hoc versuum genere nunquam alienus erat. Hae igitur formae secundo saeculo p. Chr. n. κατὰ στίχον adhibebantur[8]. Non igitur 'cholanapaesti' hae formae appellandae sunt, quo nomine utitur Kaibelius, Wilamowitzii exemplum sequens, in Mus. Rhen. 34 (1879), pag. 211; neque enim 'ad ipsum podagricorum usum' inventae sunt, sed ex usu tragico sumptae praecipueque in deorum hymnis adhibitae. Sed Wilamowitzium ab errore suo iam recessisse ea demonstrant, quae scripsit Berl. Klass. Fgm. V 2, pag. 136, annot. 2. Swoboda[9] et Zimmermann (cf. supra annot. 1), cum nomine 'Hinkanapaeste' utuntur, priorem Wilamowitzii se doctrinam sequi testantur.

Anapaesto-iambicus dimeter Euripideus dactylicam formam anapaesti non recipiebat. Cui legi se obstringentes cum usum tragicum servarent poetae recentiores, alia re veterem severitatem paulo relaxaverunt. Cum enim dimeter anapaesto-iambicus componeretur cum paroemiacis, anapaestorum constructio ea re liberior facta est, quod duas syllabas breves in versus initio in unam longam contrahere licebat, quod in tragoediae anapaestis non occurrit, paroemiaco semper concessum erat. Rarissime ceteri pedes anapaestici spondeum admittunt; quem in altero pede invenimus in aenigmatis illius v. 9 κεφαλὰν δ' οὐκ ἔσχε βρέμουσα θήρ, in tertio pede P. Fay. v. 14 δέλεαρ δὲ λαβὼν καὶ ψωμίσας et v. 22 πελεκιζομένων σταυρουμένων. Fiebat igitur huius formae usus temporibus progredientibus liberior, cum spondei in omnibus pedibus pro anapaestis admitterentur; neque vero umquam primus dimetri pes desiit esse spondei locus praecipuus.

Praeter paroemiacum et dimetrum anapaesto-iambicum recentioribus temporibus etiam dimeter anapaesto-paeonicus stichice adhibebatur. Quem semel apud Euripidem, bis in cantilena illa

---

[8]) Idem iam Callimachum de dimetro anapaesto-iambico formae ◡◡_◡◡_◡_◡_ fecisse supra vidimus (cap. I, annot. 42). Facile credas poetas recentiores eo consilio alteram formam anapaesto-iambicam adhibuisse, ut Callimachi exemplum sequerentur. Quod ita esse ea re verisimilius fit, quod alii quoque poetarum Callimacheorum imitatores Hadriani aetate exstiterunt; infra (pag. 44) afferam Besantinum quendam, qui carmine suo quod 'Ara' inscribitur sine dubio Simiacorum carminum polymetriam imitabatur.

[9]) Wien. Studd. 1905, pag. 301.

Alexandrina invenimus (cf. cap. I, pag. 28). Κατὰ στίχον usurpatum eum habemus in carmine Niloplotarum quod vocatur (P. Oxy. III, s. n. 425)[10]:

ναῦται βυθοκυματοδρόμοι
ἁλίων Τρίτωνες ὑδάτων,
καὶ Νειλῶται γλυκυδρόμοι,
τὰ γελῶντα πλέοντες ὕδατα —
τὴν σύγκρισιν εἴπατε, φίλοι,
πελάγους καὶ Νείλου γονίμου.

Dimetros κατὰ στίχον adhibitos esse hiatu v. 1 et syllaba ancipiti v. 4 admissis apparet. V. 6, qui totam comprehensionem terminat, pro paeone positus est choriambus. Anapaestorum constructio ea re liberior est quam apud Euripidem, quod pro anapaestis etiam spondei admittuntur. Hanc licentiam iam aetate Alexandrina viguisse supra vidimus (cf. pag. 28).

Iam transeamus ad acatalectarum formarum tractationem. Euripides, ut intelleximus cap. I, in partibus lyricis fabularum suarum adhibuit monometros anapaesticos, qui alienis membris metricis inserebantur neque, ut in parodis, paroemiaco concludebantur, et dimetros quos vocavimus anapaesticos, qui iis rebus a parodorum anapaestis differebant, quod neque inter bina metra diaeresis aderat neque anapaestorum forma dactylica adhibebatur. Secundo saeculo Christiano et tertio ex his formis Euripideis carmina componebantur; formas anapaesticas semper synaphia connectebat.

Monometri saepe inter alienos versus usurpati videntur esse, qua re compositio metrorum simillima fiebat Euripideae. Ita res se habet in 'Ara' quae vocatur Besantini, quod carmen Hadriani temporibus ortum esse constat[11]. Incipit autem a tribus anacreonteis, sequuntur tetrametri trochaici tres, tres phalaecei, dimetri iambici undecim; hos versus excipiunt anapaestica metra sex:

Ὑμηττιάδων πολὺ λαροτέρην
σπονδὴν ἄδην· ἴθι δὴ θαρσέων
ἐς ἐμὴν Ζεῦξιν, καθαρὸς γὰρ ἐγώ . . .,

---

[10]) De his versibus breviter disseruit Croenert (Mus. Rhen. 64 (1909), pag. 444 sq.), qui demonstrat hos versus non a nautis decantatos esse, sed in convivio recitatos, quibus conviva amicos suos iussisset τὴν σύγκρισιν εἰπεῖν πελάγους καὶ Νείλου γονίμου. Metrum autem non, ut Croenert censet, a versificatore aliquo inventum est, sed ex usu Euripideo decerptum.

[11]) Ed. Wilamowitz, Bucolici Graeci, pag. 154.

sequuntur tres tetrametri choriambici. In hoc carmine bina metra anapaestica singulos versus efficiunt, quod indicat acrostichon. Versuum enim singulorum primae litterae haec verba efficiunt: Ὀλύμπιε πολλοῖς ἔτεσι θύσειας; versus autem quos descripsi a litteris υ σ ε incipiunt vocis θύσειας. Anapaesti etiam in lapide illo exstant, de quo disputat Wilamowitzius in dissertatione, quae 'Nordionische Steine' inscribitur[12]). Hymno enim Ptolemai in urbe invento adiecti sunt hi versus:

Νείλου δὲ ῥοὰς [δμψης] μάκαρ ἀιδίους
καὶ τᾷδε πόλει θάλος ἀμβρόσιον
πάσῃ τ' ἀγανὸν κλέος Αἰγύπτῳ.
χαῖρέ μοι, ὦ Παιάν, ἐπ' ἐμαῖς εὔφροσι ταῖσδ' ἀοιδαῖς,
χαῖρ', ὦ Πύθι' Ἄπολλον.

V. 4 priapeum est, v. 5 pherecrateus. Secundo igitur saeculo Christiano carmina e variis formis metricis componebantur; in his carminibus etiam metra anapaestica adhibebantur, quae per synaphiam continebantur.

Dimetros anapaesticos Euripideos in quattuor monumentis repperi, quorum duo praeter anapaestos etiam alias formas metricas praebent; semper inter dimetros etiam monometri anapaestici occurrunt. Hunc usum observamus in carmine illo sub finem secundi saeculi composito, cuius reliquias edidit Kaibel Epigr. Gr. n. 1027 c:

πάγ]γλωσσα γένη
μερόπων ἀνεγείρατον ἐκ καμάτων
βαρυαλγέα νοῦσον ἀπωσαμένω·
Παιὰν δὲ γέγηθεν ἀκειροκόμης
νέον ἔρνος ἔχων σέ, Τελεσφόρε, τὸν
περὶ κῆρ ἔσ[τη],
καὶ πολλάκι σεμνὰ θεοῦ Καμάτου ...

Dimetros anapaesticos sequuntur versus heroi. E dimetris anapaesticis, quos dactyli sequebantur, etiam carmen illud Hippolyti εἰς Ἄττιν corruptissimum constitisse videtur[13]). In paroemiacum formae anapaesticae exeunt, ut parodorum systema, Luc. Tragod. 191—203:

ἀδαμάντινον ἦθος ἔχουσα κόρα,
πουλυσθενές, ὀβριμόθυμε θεά,

---

[12]) Abhdlgn. d. Berl. Akad. 1909, pag. 42, annot. 1.
[13]) Lyrici Graeci rec. Bergk III[4] (1882), pagg. 685—6.

κλύε σῶν ἱερῶν μερόπων ἐνοπάς.
μέγα σὸν κράτος, ὀλβιόφρον Ποδάγρα,
τὰν καὶ Διὸς ὠκὺ πέφρικε βέλος,
τρομέει δέ σε κύμαθ' ἁλὸς βυθίας,
τρομέει βασιλεὺς ἐνέρων Ἀΐδας,
ἐπιδεσμοχαρές, κατακλινοβατές,
κωλυσιδρόμα, βασαναστραγάλα,
σφυροπρησιπύρα, μογισαψεδάφα,
δοιδυκοφόβα, γονυκαυσαγρύπνα,
περικονδυλοπωροφίλα[14]),
γονυκαμψεπίκυρτε Ποδάγρα.

Anapaestos etiam hymnus εἰς Θέτιν praebet a Philostrato heroic. 741 traditus[15]):

Θέτι κυανέα, Θέτι Πηλεία,
μέγαν ἃ τέκες υἱὸν Ἀχιλλέα· τοῦ
θνατὰ μὲν ὅσον φύσις ἤνεγκεν,
Τροία λάχε, σᾶς δ' ὅσον ἀθανάτου
γενεᾶς παῖς ἔσπασε, Πόντος ἔχει·
βαῖνε πρὸς αἰπὺν τόνδε κολωνὸν
μετ' Ἀχιλλέως ἔμπυρα, βαῖνε γόους
εὐδακρύτους μέτα Θεσσαλίας,
Θέτι κυανέα, Θέτι Πηλεία.

Componebant igitur secundo et tertio saeculo Christiano poetae Graeci carmina anapaestica, quae continebant dimetros Euripideos formae ⏖_⏖_⏖_⏖_ et monometros formae ⏖⏓⏖_. Hae formae cum omnes per synaphiam connexae fuerint, hypermetra anapaestica eas appellare licet.

Transeamus ad earum formarum tractationem, quas poetae

---

[14]) Hunc versum dimetrum brachycatalectum Alexandrini vocabant; cf. cap. II pag. 35; vide etiam infra pag. 49.

[15]) Apparatum criticum Bergk praebet Lyr. Gr. III[4] 687 sq. — V. 2 τὸν μέγαν ἔτεκες υἱὸν; τὸν seclusi, ἃ addidi. — V. 8 sq. μετ' Ἀχιλλέως ἔμπυρα βαινεύδάκρυτος (α supra υ) μετὰ Θεσσαλίας codd. Viri docti μετὰ cum Θεσσαλίας coniungentes quid haec verba significarent non intellegebant. Difficultates praebebat et εὐδάκρυτος (α supra υ). Equidem dimetros restituendos esse ratus μετὰ non ad Θεσσαλίας redire existimavi, sed ad aliquem accusativum, qui indicaret, quo ire Thetis iuberetur. Itaque post βαῖνε supplevi γόους, mutavi εὐδάκρυτος in εὐδακρύτους, cum hoc adiectivum pro δακρυόεις hoc loco adhibitum esse opiner, quod cum γόος composuit Homerus ρ 8: οὐ γάρ μιν . . . παύσεσθαι ὀίω . . . . γόοιό τε δακρυόεντος. Iubetur igitur Thetis ire ad Thessalos cum lacrimis mortem Achillis querentes.

recentiores non ex Euripide sumpserunt, sed ipsi novas construxerunt. Omnes tamen novae formae ex Euripidearum imitatione prodierunt.

Dimetri anapaesto-iambici, quibus Lucianum et Mesomedem usos esse vidimus, occurrunt etiam in duobus Diophanti cuiusdam canticis, quae in lapidibus incisa exstant (CIA III 171)[16]. Sed differunt versus ea re a dimetris Luciani et Mesomedis, quod saepius metrum anapaesticum a metro iambico per diaeresin seiunctum est. Describam carmen posterius:

τάδε σοι, Διόφαντος, ἐπεύχομαι·
σῶσόν με, μάκαρ, σθεναρώτατε,
ἰασάμενος ποδάγραν κακήν,
πρὸς σοῦ πατρός, ᾧ μεγάλ' εὔχομαι·
οὐ γάρ τις ἐπιχθονίων βροτῶν
τοιῶνδε πόροι λύσιν ἀλγέων.
μόνος εἶ σύ, μάκαρ θεῖε, σθένων·
σὲ γὰρ θεοὶ οἱ πανυπείροχοι[17])
δῶρον μέγα, τὸν φιλελήμονα
θνητοῖς ἔπορον, λύσιν ἀλγέων.

Etiam manifestior est novitas in hymno Naassenorum[18]. Cuius pars posterior e dimetris anapaesto-iambicis et paroemiacis constat, qui uno excepto omnes metrum prius per diaeresin seiungunt:

εἶπεν δ' Ἰησούς· ἐσόρ<α>, πάτερ,
ζήτημα κακῶν <τόδ'> ἐπὶ χθόνα
ἀπὸ σῆς πνο<ι>ῆς ἐπιπλάζεται.
ζητεῖ δὲ φυγεῖν τὸ πικρὸν Χάος,
κοὐκ οἶδε<ν ὅ>πως διελεύσεται.
τούτου με χάριν πέμψον, πάτερ,
σφραγῖδας ἔχων καταβήσομαι.
αἰῶνας ὅλους διοδεύσω,
μυστήρια πάντα δ' ἀνοίξω,
μορφὰς δὲ θεῶν ἐπιδείξω.

---

[16]) Cf. Kaibel, Mus. Rhen. 34 (1879), pagg. 210—211. Prius carmen in duos monometros exit: τὸν φαιδρότερον χθονὸς εἰαρινᾶς.

[17]) Hic versus ab iambo incipit; cf. infra annot. 23.

[18]) Hippol. adv. Haeret. V 10, 11—24. Apparatum criticum composuit Usener, Altgriech. Versbau, pagg. 94—95, tum Harnack, Sitzgsber. d. Berl. Akad. 1902, pagg. 542—43; sine apparatu hymnum descripsit Swoboda, Wien. Studd. 1905, pag. 300.

τὰ κεκρυμμένα τῆς ἁγίας ὁδοῦ,
γνῶσιν καλέσας, παραδώσω.

Videntur hi poetae non iam dimetros catalecticos, quos vocabant, composuisse, sed monometris anapaesticis quasi aliena membra metrica adiecisse.

Haec nova ratio formas catalecticas formandi sine dubio eo tempore orta est, cum poetae Graeci non iam satis habebant dimetricas formas componere, sed etiam monometrorum compositioni se dederant. Quod apparet e Clementis Alexandrini hymno εἰς Χριστὸν τὸν παιδαγωγόν[19]), cuius partem priorem describam:

στόμιον πώλων ἀδαῶν,
πτερὸν ὀρνίθων ἀπλανῶν,
οἴαξ νηῶν ἀτρεκής,
ποιμὴν ἀρνῶν βασιλικῶν·
τοὺς σοὺς ἀφελεῖς
παῖδας ἄγειρον,
αἰνεῖν ἁγίως
ὑμνεῖν ἀδόλως
ἀκάκοις στόμασιν
παίδων ἡγήτορα Χριστόν.
ἁγίων βασιλεῦ,
λόγε πανδαμάτωρ . . . . .
ἁλιεῦ μερόπων
τῶν σωζομένων
πελάγους κακίας,
ἰχθῦς ἁγνοὺς
κύματος ἐχθροῦ
γλυκερῇ ζωῇ δελεάζων·
ἡγοῦ προβάτων
λογικῶν ποιμὴν ἅγι', ἡγοῦ
βασιλεῦ παίδων ἀνεπάφων.

Vv. 11—25 monometros esse iam rhetorica forma verisimile fit, cum singulis metris saepissime singulae Christi appellationes contineantur; sed tota hymni compositio horum versuum naturam certam reddit. Nam versus dimetrici, qui in hoc carmine leguntur, omnes illis temporibus iam dudum in usu erant, nisi quod

---

[19]) Clemens Alexandrinus ed. Staehlin, vol. I (1905), pagg. 291—92; praef. LXXVI 2.

diaeresis aberat: versuum 1—3 formam Lucianus adhibuit Tragod. 202 in carmine anapaestico: περικονδυλοπωροφίλα, quam Alexandrini appellabant brachycatalectam (cf. supra annot. 14). Versuum 4 et 31 formam in Niloplotarum cantilena invenimus, paroemiacos saepissime. Clemens autem, ut monometer a clausula segregaretur, omnium versuum partem priorem a posteriore per diaeresin seclusit, v. 10 excepto. Qua observatione adductus, ceteros versus non pro hypermetris habeo, sed pro monometris stichice adhibitis, qui eam solam hypermetrorum similitudinem servaverunt, quod synaphiam praebent; v. 6 in sententiae inciso syllaba anceps admissa est. Hac re Clementis studium facile intellegitur: composuit enim monometros anapaesticos, quibus interdum varia membra metrica adiecit, aut anapaestum aut paeonem aut ionicum minorem[20]). Cuius rei certissimum testimonium est hymni pars posterior, in quo puri monometri compositi sunt nullis iam alienis membris adiectis; plane enim synaphia omissa est, monometri ut στίχοι incedunt. Hoc genus Synesius imitatus est, qui duos hymnos e monometris anapaesticis composuit[21].)

Hanc novam formam ad ea, quae Synesius tractavit, aptissimam fuisse nemo negabit. Artificiosae enim constructiones grammaticae non occurrunt, sententiae longae splendidissime decurrentes in supplicationibus illis non adhibentur, qua de causa sententia saepe post unumquemque monometrum paululum quiescit. Quod praecipue eis locis apparet, ubi appellationum ordo longissimus connexus est, velut III 145—173: πατέρων πάντων | πάτερ, αὐτοπάτωρ, | προπάτωρ, ἀπάτωρ, | υἱὲ σεαυτοῦ, | ἓν ἑνὸς πρότερον, | ὄντων σπέρμα, | πάντων κέντρον, | προανούσιε νοῦ, | κόσμων ῥίζα | τῶν ἀρχεγόνων, | ἀμφιφαὲς φῶς, | ἀτρέκεια σοφά, | παγὰ σοφίας e. q. s.; IV 60—71: μονὰς ὦ μονάδων, | πάτερ ὦ πατέρων, | ἀρχῶν ἀρχά, | παγῶν παγά, | ῥιζῶν ῥίζα, | ἀγαθῶν ἀγαθόν, | ἄστρων ἄστρον, | κόσμων κόσμε, | ἰδεῶν ἰδέα, | βύθιον κάλλος, | κρύφιον σπέρμα, | πάτερ αἰώνων. Quid talibus locis synaphia profuisset?

---

[20]) Idem Wilamowitzius docuit in Staehlini editione, pag. LXXVI, annot. 2.

[21]) Quos ediderunt sub numeris III et IV Christ-Paranicas in Anthol. carm. Christian. (1871), pagg. 6—19. Nonnullos locos Wilamowitzius sanavit in disputatione sua de Procli Synesiique hymnis habita Sitzgsber. d. Berl. Akad. 1907, pag. 294. Idem vir doctus hymnum decimum qui vocatur ex eisdem formis constantem a scriba aliquo additum esse demonstravit.

Clemens ipse monometrorum usum, qualem optimum putaret, hymno suo demonstrare in animo habuisse mihi videtur. Qui in priore carminis parte appellationes per monometros synaphia connexos decurrere iussit, periodum longioribus formis clausit, tum in parte posteriore monometris κατὰ στίχον usurpatis, nullas alienas formas adiungens, iterum appellationes profudit: λόγος ἀέναος, | αἰὼν ἄπλετος, | φῶς ἀίδιον, | ἐλέους πηγή, | ῥεκτὴρ ἀρετῆς | σεμνῇ βιοτῇ | θεὸν ὑμνούντων, | Χριστὲ Ἰησοῦ, (34—41). Qua re docuit formam metricam rei esse accommodandam, neque synaphia utendum, ubi sententiae ipsae omni synaphia, ut ita dicam, carent. Sed et id premere voluit, monometros synaphiam neglegentes non aliter ac solos purosque adhibendos esse, sin autem alienae formae cum eis coniungerentur, synaphiam, nisi forte sensus quiesceret, servandam esse. Quod optimo iure praecepit. Nam formis anapaesto-ionicis omnibus indoles quaedam stichica innata erat, monometri autem usque ad id tempus synaphiam non omiserant, quare stichicam compositionem fugiebant. Praeterea κατὰ στίχον, i. e. synaphia omissa, non quaelibet metra sine ordine permixta componebantur, sed talia, quae inter se similia erant aut illis temporibus similia videbantur. Itaque si monometri anapaestici inter stichicas formas catalecticas adhibebantur, aut, ut formae a stichico usu alienae, per synaphiam connectendae erant, aut catalecticae, ut versus stichice usurpati, reddendae. Neque desunt monometrorum catalecticorum documenta, quod brevi videbimus.

Duae igitur anapaestos componendi rationes novae e formarum Euripidearum imitatione ortae sunt; monometri enim κατὰ στίχον adhibebantur, et metris anapaesticis varia membra metrica (◡◡–◡–, ◡◡ – –, ◡◡ ◡–, ◡◡–) adiciebantur. Hic novus usus alias novitates ex se procreavit; monometrorum enim usus stichicus catalecticas formas monometricas instituere poetas docuit, et metris anapaesticis, ut membra illa quae modo enumeravi, ita longiores quoque compositiones metricae adici coeptae sunt.

Monometri catalectici in Achillis hymno exstant, quem Philostratus tradit heroic. 747 [22]):

Ἀχώ, παρὰ μυρίον ὕδωρ
μεγάλου ναίοισα πέραν πόντου·

[22]) Apparatum criticum composuit Bergk Poet. Lyr. Gr. III 688. — V. 2 πλευρὰ codd., πέραν Bergk. — V. 12 μέλεσιν imposuit Bergk.

ψάλλει σε λύρα διὰ χειρὸς ἐμᾶς,
σὺ δὲ θεῖον Ὅμηρον ἄειδέ μοι,
κλέος ἀνέρων,
κλέος ἁμετέρων πόνων,
δι' ὃν οὐ θάνον,
δι' ὅν ἐστί μοι
Πάτροκλος, δι' ὃν ἀθανάτοις ἴσος
Αἴας ἐμός,
δι' ὃν ἁ δορίληπτος ἀειδομένα
<μέλεσιν> σοφοῖς
κλέος ἤρατο κοὐ πέσε Τροία.

Notissimae sunt formae vv. 1. 13 (paroemiaci), 2. 3. 11 (dimetri anapaestici), 4. 9 (dimetri anapaesto-iambici). Versus 5. 7. 8. 10. 12 formam habent ◡◡_◡_, quae in tragoedia non occurrit. Quam sine dubio poetae recentiores novam sibi invenerunt et monometrum in bisyllabum catalecticum volebant esse. Quod tum demum fieri potuit, postquam Clemens monometros anapaesticos stichice adhibere poetas docuit. Haec igitur forma pro integro monometro inter stichicas formas catalecticas stichice usurpabatur. De forma v. 6 egimus cap. II (pag. 35). Est glyconea (cf. cap. I, annot. 19); sed iam Alexandrini eam propter anapaestorum similitudinem pro anapaestico dimetro hypercatalecto habebant. Neque tamen poetae in carminibus anapaesticis eam adhibere coeperunt ex mea sententia, priusquam monometrum in bisyllabum catalecticum invenerunt; tum enim facile commoti sunt, ut etiam alios versus, qui ab anapaestis incipiebant et in iambum desinebant, componerent.

Tales versus si dimetrorum longitudinem transgrediebantur, nova illa ratione componebantur, qua Diophantus et Clemens versus catalecticos formabant; monometris enim anapaesticis membra illa metrica in iambum exeuntia adiciebantur. Quod docet hymni illius Naassenorum (cf. annot. 18) pars prior:

Νόμος ἦν γενικὸς τοῦ παντὸς ὁ πρώτ<ιστ>ος Νόος,
ὁ δὲ δεύτερος ἦν τοῦ πρωτοτόκου τὸ χυθὲν Χάος,
τρίτατον Ψυχὴ δ' ἔλαβ' ἔν<θ'> ἐργαζομένη νόμον.
διὰ τοῦτ' ἐλάφου μορφὴν περικειμένη
κοπιᾷ θανάτῳ μελέτημα κρατουμένη.
ποτὲ βασιλείαν <μὲν> ἔχουσα βλέπει τὸ φῶς,
ποτὲ δ' εἰς ἔλεον ῥιφθεῖσα μινύρεται.
ποτὲ μὲν χαίρει, καίνυται,

ποτὲ δὲ κλαίει, κρίνεται,
ποτὲ δὲ θνῄσκει, φθίνεται.
ἀνέξοδος ἡ μελέα κακῷ
λαβύρινθον ἐσῆλθε πλανωμένη[23]).

Eandem componendi rationem, quam vv. 13—24 cognovimus (cf. supra pag. 48), etiam vv. 1—7 sequuntur; qui omnes a monometris anapaesticis incipiunt, quibus varia membra metrica adiecta sunt: dimetri anapaesto-iambici vv. 1—3, forma illa glyconea a Philostrato adhibita vv. 4—7, quam ab una longa syllaba incipere Alexandrini, ut cap. II vidimus, vetuerant, at illa aetate, ut in dimetro anapaesto-iambico (cf. pag. 43), concessum erat, unde in v. 4 μορφήν. Hymni poeta sine dubio trimetros in bisyllabum catalecticos (vv. 1—3) et hypercatalectos (vv. 4—7) composuisse sibi videbatur.

Iam ea, quae hoc capite novi cognovimus, complectamur. Exstant saeculorum p. Chr. n. II et III non pauca carmina Graeca, quae formas anapaesticas exhibent. Horum carminum vetustiora anapaesticas compositiones ex Euripidearum fabularum partibus lyricis sumpserunt; eae formae, quas cap. I anapaesto-iambicas appellabamus, praeterea paroemiacus, κατὰ στίχον adhibebantur; κατὰ συνάφειαν componebantur dimetri anapaestici, quos vocavimus Euripideos (⏖_⏖_⏖_⏖_), et monometri anapaestici (⏖⏔⏖_). Hae formae acatalectae ambo in eisdem carminibus usurpabantur et hypermetra quae vocantur anapaestica efficiebant. — Recentiora monumenta eas formas praebent, quae

[23]) Contextui restituendo codices corrupti multas difficultates parant, praesertim cum sine dubio non omnes codices adhuc collati sint. V. 7 codices praebent ποτὲ δ' εἰς ἔλαιον ἐρριμμένη κλάει, quae verba Diels correxit dubitanter (vide app. crit. in Sitzgsber. d. Berl. Ak. 1902, pagg. 542—43); cuius coniecturam in contextum recepi. — Vv. 8—10 et metrum claudicat et sententia. Codices enim haec exhibent: ποτὲ δὲ κλαίεται χαίρει | ποτὲ δὲ κλαίει κρίνεται | ποτὲ δὲ κρίνεται θνῄσκει | ποτὲ δὲ γίνεται ἀνέξοδος e. q. s. Quid poeta dicere voluerit, dubium non est; describuntur enim, ut 6—7, τὰ τῆς ψυχῆς παθήματα. Equidem quae tentavi, in contextum recepi; restitui dimetros anapaesto-creticos, quales apud Euripidem Andr. 279 et temporibus Alexandrinis repperimus puel. quer. 7—8. — V. 11 quod ab iambo incipit me non offendit; eandem enim licentiam Diophantus admisit in versu illo: σὲ γὰρ θεοὶ οἱ πανυπείροχοι (cf. annot. 17); eandem in paroemiaco Mesomedis repperi (εἰς Νέμ. 13): ζυγὸν μετὰ χεῖρα κρατοῦσα. Haec licentia Mesomedis aetate in paroemiaco orta est; postea in dimetrum anapaesto-iambicum transiit; vide infra pag. 53 sq. et annot. 25.

ex Euripidearum formarum imitatione ortae, sed nova quadam ratione formatae sunt. Huius novae rationis praeceptor Clemens Alexandrinus videtur fuisse; hic enim stichicum usum instituit monometrorum acatalectorum, qui, si formis catalecticis inserebantur, synaphiam servabant, si soli incedebant, synaphiae vinculis liberati erant. Idem poeta, monometrorum compositione commotus, formarum catalecticarum usum ita mutavit, ut non iam dimetros catalecticos formaret, sed monometris integris varia membra metrica (⏑⏑ ––, ⏑⏑ ⏑–, ⏑⏑ –, alii etiam ⏑⏑–⏑–) adiceret. — Haec nova ratio anapaestos adhibendi duas alias novitates ex se procreavit: monometrorum usus stichicus catalecticos monometros (⏑⏑–⏑–) formare poetas docuit; usus varia membra metrica cum monometris coniungendi poetas commovit, ut longiores formas anapaesticas in iambum exeuntes componerent, quam usque ad id tempus, Euripidis exemplum sequentes, adhibuerant.

Hic est anapaestorum usus, qualem e Graecis documentis usque ad medium circiter saeculum p. Chr. n. tertium cognoscere possumus. Restant pauca fragmenta Graeca, quae tractare hoc loco supersedeo, quippe quorum ars metrica Romanorum demum poetarum studiis cognitis aperta fieri possit. Tum etiam intellegemus, quali ex anapaestorum compositione monometri Clementis prodierint, quod ex earum formarum usu, quas adhuc tractavimus, non apparet.

Unum autem monumentum Graecum idque novissimum iam hoc capite tractare liceat, dico hymnum illum saeculi IV, qui ad baptisma decantabatur[24]). Cuius ex arte metrica apparebit, Mesomedis aetate a poetis Graecis etiam e solis paroemiacis carmina composita esse, quem usum cap. IV comprobabit imitatio Romana. Neque vero parvo circuitu opus erit, ut demonstremus, hymni nostri formam metricam e paroemiaco stichice adhibito evasisse. Qua de causa altius repetere mihi liceat.

Anacreonteum versum Mesomedis aetate pervulgatissimum fuisse anthologia Anacreonteorum indicat, quam illis temporibus ortam esse notum est. Anacreonteum et a duabus syllabis brevibus et ab una longa et ab una brevi oriri potest, ita ut habeat hanc formam: ⏓/⏑⏑–⏑–⏑–⏓. Formarum similitudine factum est, ut Mesomedis aetate initii varietas ab Anacreonteo in paroemiacum transiret: ⏓/⏑⏑–⏑⏑–⏑⏑–⏓. Ab una syllaba brevi

[24]) Pap. Amh. edd. Grenfell-Hunt, I2 (pagg. 23—28).

Mesomedis hymni εἰς Νέμεσιν v. 13 incipit: ζυγὸν μετὰ χεῖρα κρατοῦσα[25]). Haec est altera ratio, qua paroemiacus per anacreonteum recentiore aetate commutatus est; alteram maiore demum digressione praemissa cognoscemus.

Inde a Luciani et Mesomedis aetate accentus expiratorius qui vocatur veterem artem metricam paulatim commutare coepit. Ac primum quidem syllaba paenultima complurium versuum illis temporibus pervulgatorum, quae longa erat, accentu efferri coepta est. Quem usum praebet Babrius in choliambis, quorum metrum ultimum illa aetate ex iambo et trochaeo sive spondeo constare putabatur (⏑–́⏑̄)[26]), postea persaepe Nonnus in hexametris. Idem usus in paroemiacis quoque celerrime percrebruit, quod ea monumenta, quae tractavimus, illustrant. In Luciani enim hymno in Podagrae laudem composito e duodecim paroemiacis tantummodo sex paenultimam accentu efferunt, e Mesomedis septendecim iam tredecim, ex hymni Naassenorum paroemiacis omnes quattuor. Hic usus paenultimam accentu efferendi in versus illos transiit nova arte compositos, quos in duobus hymnis Gregorius Nazianzenus adhibuit[27]). Versus bipertiti sunt; singulae partes plerumque septenas syllabas continent, quarum paenultima accentu edita est. Neque vero semiversus desunt, qui de hac regula declinent; quorum plures priorem versuum locum obtinent. Quam rem demonstremus hac tabula:

I. In hymno de virginitate (100 versus):

	plus 7 syll. occurr.	paenult. acc. non elata
in parte priore	34ies	35ies
in parte posteriore	7ies	bis

[25]) Cf. annot. 23. E paroemiaco haec licentia in dimetros anapaesto-iambicos transiit; cf. Dioph. II 8 et hymn. Naass. 11.

[26]) Mar. Victor. GL VI 81, 12: 'trochaeus pro iambo inducitur', 136, 13 sqq.: 'species trimetri scazontis ..... ut non iambo sexto, sed spondeo pede aut trochaeo ... terminetur'.

[27]) Hymnum de virginitate et hymnum vespertinum apparatu critico instructos edidit W. Meyer, Abhdlgn. d. Kgl. Bayr. Ak. d. Wiss., philos.-philol. Kl. 1886, pagg. 402—9. De arte metrica pauca disseruit F. Hanssen, Philol. 44 (1885), pagg. 228—35.

II. In hymno vespertino (25 versus):

	plus 7 syll. occurr.	paenult. acc. non elata
in parte priore	8ies	9ies
in parte posteriore	ter	bis

Dubium non est, quin in utroque hymno forma posterioris versuum partis legitima haec sit: × × × × × ×́ ×. Quae forma quid aliud est, atque anacreonteum novae arti metricae accommodatum? Cuius vetustior usus quo modo paroemiacum commutaverit supra vidimus; novus usus huius versus plane novam reddidit paroemiaci compositionem. Quam rem adiuvit dimeter anapaesto-paeonicus, quem recentioribus temporibus popularem fuisse cantilena Niloplotarum quae vocatur nos docuit. Haec forma paroemiacum sequitur apud Clementem 30—31:

λογικῶν ποιμὴν ἅγι', ἡγοῦ
βασιλεῦ παίδων ἀνεπάφων.

Quae una cum paroemiaco, cuius paenultima accentu elata erat, et novo usu anacreontei novam formam effecit hanc: ⏑⏑—⏑⏑—⏑⏑⏑″—. Quam e paroemiaco, non e dimetro anapaesto-paeonico ortam esse mihi persuasum est. Cum enim paroemiaci paenultima accentu efferri soleret, huius syllabae quantitas facillime neglegi potuit. Quod recentioribus temporibus saepius factum esse Valentini hymnus ab Hippolyto servatus demonstrat [28]), cuius in v. 1 syllaba brevis producitur, quia accentum fert: πάντα κρεμάμενα πνεύματι βλέπω. Dimetri autem anapaesto-paeonici usus popularis paroemiaci commutationem, ut diximus, adiuvit. Cuius natura bigenera sive paroemiaci vicinitate (Clem. 30—31) sive accentu expiratorio cogente facile oblivione obrui potuit, quod aliis causis dimetro anapaesto-iambico (⏑⏑—⏑⏑—⏑⏑—⏑—) iam aetate Alexandrina factum esse supra vidimus. Novum versum de quo agimus adhibitum invenimus in hymno, quem tractaturi sumus (Pap. Amh. I 2, pagg. 23—28). Continet 24 versus, quorum singuli in trinos versus minores divisi sunt [29]). Trini versus ab eadem littera incipiunt; procedimus ab A usque ad Ω. Nonnullos versus describam:

---

[28]) Cf. Hermes XXXIV (1899), pagg. 218—19.

[29]) Quos Wilamowitzius appellat paroemiacos miuros; Gött. gel. Anz. 1901, pag. 34.

4,1 δυσὶ ῥήμασι μηκέτι λάλει.
6,2 ζ[ή]τει ζωὴν ἵνα λάβῃ<ς>.
8,1 θ(εὸ)ς ἤλυθε πολλὰ κομίσας,
θανάτο[υ] τριτόπημα τελέσα[ς.
9,2 εἰπὼν ὅτι νῶτα παρέχω
ἵνα μὴ θαν[άτ]ῳ περιπέσῃ<ς>.
11,3 λουτρὸν [τ]ὸ καθάρσιον ἔχει.
18,1 σὺ θα[νὼν ἵ]ν' ἀνάστασιν ἴδῃς,
σὺ τὸ φῶς ἵν' αἰῶνι[ο]ν ἴ[δῃς,
σὺ θεὸν] φωτῶν ἵνα λάβῃς.
19,3 τὸ δὲ πῦ]ρ φοβερὸν παρανόμοις.
20,1 ὑπὸ τὴ[ν] χάριν ἦλθες ἀκόπως.
22,2 χριστὸς καὶ στέμμαθ' ἁγίω[ν.

Paroemiacus non 'miurus' est 9,1: Ἰησοῦς ὁ παθὼν ἐπὶ τούτοις. E paroemiacis non miuris hanc licentiam novimus:

10,3 κᾰ̄λὴν ζωὴν ἵνα λάβῃς.
14,2 ξένους κα<ὶ> μὴ δυν<α>μένους
ξένιζε τὸ πῦρ ἵνα φύγῃς.
17,2 ῥοπὴν ἵνα παντὶ παρέχῃ.

Haec nova consuetudo metrica disputationi nostrae finem facit. Nova aetas novas leges metricas constituit. Iam illis temporibus, quibus hymnus noster compositus est, sensus metricus, ut ita dicam, valde labefactatus erat. Quod compluribus rebus probabo. Saepius longa syllaba brevis locum obtinet:

5,1 ἔρχονταῐ́ τινες προβατίνοις.
12,1 μείνας ἐπεῐράζετ' ἐν ὄρει.
13,1 νῦν ἔργασαῐ κληρονομίας.
20,2 ὑπάκουε πένησιν [αῐ̓τοῦσιν.
ὑπερηφά]νῶς μηκέτι λάλει.

Interdum non modo paenultimae, sed etiam aliarum syllabarum brevem quantitatem accentus expiratorius longam reddidit:

5,2 ἐν σχήμασιν ἔ̄σῶθε̆ν λ[ύκοι.
7,2 ἢ̄ν ἔ̄μαθες ἐλπίδα κράτει.
16,1 παισὶν δ' [ε]ὐῆ̆γγέλῐζε λέγων.
24,2 ὧν ἔ̄μαθες μηκέτι λάθῃ.

Summa neglegentia hi versus constructi sunt:

1,3 ἀθά]νατŏν ζῶ̆ὴν ἵνα λάβῃς.
2,1 βαρῠ̓ν θεσμὸν ἔφῡγες ἀνόμου.
11,2 λουσάμε̄νŏς ἐνὶ τύποις.

Quas formas omnes novis formis quas modo tractavimus quasi cogentibus ortas esse nemo non intellegit.

Restat, ut monumenta anapaestica Latina quae supersunt tractemus. Qua re sine dubio nonnullis rebus adhuc obscuris et dubiis plus lucis afferetur, praecipue acatalectarum formarum usui.

Caput IV.

De Romanorum carminibus anapaesticis.

Ex imperii Romani temporibus primis inter monumenta anapaestica quae supersunt notissima sunt Senecae cantica anapaestica, quae constant e monometris formarum ⏔⏔⏕⏔– per synaphiam connexis. Quod genus denuo occurrit saeculo quarto, quo Ausonius, et sexto, quo Luxorius et Boethius eo utuntur, arte metrica iam passim labefacta. Paroemiaci κατὰ στίχον adhibiti saeculo secundo occurrunt in Sereni Annianique reliquiis; anno circiter ducentesimo Hosidius in tragoedia illa cui nomen est Medea tria cantica paroemiacis composuit; eundem usum praebent Ausonius, Prudentius, Martianus Capella, Boethius. Lapidibus incisa duo carmina inventa sunt, quae Buecheler-Riese ediderunt Anthol. Lat. II 2, n. 1523—24; tertium fragmentum Peiper affert in Ausonii editione pag. 56 annot.

Iam singulis formis suum locum concedamus in anapaestorum historia. Ac primum quidem de Senecae anapaestis agendum erit. De quibus quamquam cum alii tum Leo[1]) fusius disseruit, tamen neque origo neque natura eorum adhuc satis explicata est. Atque quaeritur imprimis, utrum Seneca in anapaestis componendis Graecos poetas imitatus sit, an ipse sibi usum suum constituerit. Quae res e formis ipsis demonstrari non potest, cum monumenta Graeca, quibus similis compositio exstare videtur, omnia recentiora sint et mutilata; explicatio potius ex usu atque doctrina artis metricae repetenda est, qualem apud Senecae aequales et Graecos et Romanos deprehendimus. — Altera quoque quaestio gravissima adhuc non soluta est, utrum Senecae carmina anapaestica e monometris composita sint an e dimetris an ex hypermetris. Leo cantica illa e dimetris et

---

[1]) De Senecae tragg. observv. critt. (1878), pag. 98 sqq. 'Die Composition der Chorlieder Senecas', Mus. Rhen. 52 A (1897), pagg. 509—18.

monometris constare docuit, nisus Etrusci codicis auctoritate, in quo dimetri continuo decurrerent monometris interrupti, qui, ut in Graecis carminibus paroemiaci, sententiae claudendae inservirent. Neque vero ea re, quod Seneca anapaestos eadem ratione disposuit, qua grammatici Alexandrini parodorum systemata[2]), satis demonstratur poetam nostrum dimetros composuisse. Erunt certe qui existiment monometros a poeta nostro confectos esse; neque enim uniuscuiusque dimetri metrum prius a posteriore differt, cum in eiusdem dimetri diaeresi ne synaloepha quidem admissa sit, quae apud Graecos in parodorum anapaestis persaepe occurrit. Satis habebo Medeae Euripideae locos notare, qui mihi primo obtutu occurrerunt: 101. 102. 105. 117. 118. 163. 174. 1096. 1099. 1109. 1395. 1398. 1405. 1417. Non aliter res se habet de fragmento Berolinensi[3]):

[σῶ]ν πάντες, Ὅμηρ', αἰνετὸν ὕμνων
φύσιν ἡρώων λογάσιν μερόπων
παραδεξάμενοι μεγαλύνουσιν . . .
μετὰ παρθενικ[ῶν παίδων ἰ]αχῆς
μέλος οἰμώξασ' ἵετ' ἐ[π'] ἀκτὰς
[συνμ]υρομένας δεσπότις ἡ πρ[ὶ]ν
σκήπ[τρων ἀρχ]ός, . . .

Eandem licentiam Varro[4]) adhibet, cum systemata format:

92,5 altus in obliquo aethere Lunae.
123,3 pectore fluctanti, intonsa coma,
sordida vestitu, ore severo.

Neque vero hac re Senecae compositio qualis fuerit facilius intellegitur; quippe qui ne in asclepiadeis quidem versibus diaeresin per synaloepham mitigari siverit[5]). — Talibus difficultatibus cum iam in ipso Annaeano usu observando occurramus, Graecorum carminum, quae Seneca imitatus est, compositio quae fuerit haud facile intellegas. Quam tum demum perspiciemus, cum fusius explanaverimus, quibus rebus Senecae usus metrorum

---

[2]) Cf. cap. II, pag. 33 et annot. 6.

[3]) Cf. praefat, annot. 1.

[4]) Petronius ed. Buecheler[4] (1904), pagg. 165—226.

[5]) Velut Herc. fur. 524 sqq.: o Fortuna viris invida fortibus | quam non aequa bonis praemia dividis. | Eurystheus facili regnet in otio; | Alcmena genitus bella per omnia | monstris exagitet caeliferam manum. Praeterea Med. 93—109, Phaed. 753—60, 764—823, Thy. 122—75, Herc. Oet. 104—72.

anapaesticorum a ratione Graeca differat; nonnulla enim in canticis anapaesticis huius poetae occurrunt, quae nullo modo e Graeco usu sumere potuit, sed ipse sibi, ut poeta Latinus, videtur constituisse.

Primum igitur Senecam in anapaestis componendis Graecorum suae aetatis imitatorem fuisse demonstrabo; deinde ea, quae Latini originis in canticis eius videntur esse, exhibebo; tum exemplorum illorum Graecorum rationem, quam amplexus est, illustrabo.

Seneca a Diomede in neotericorum quorundam sive novellorum poetarum numero commemoratur, cuius appellationis rationem G. Schultzius demonstrare conatus est[6]). Qui neotericos sive novellos poetas eos fuisse docuit, qui a Caesio Basso usque ad secundi saeculi finem fuissent novasque formas metricas invenire studuissent; quod ad studium illos esse commotos cum Caesii Bassi doctrina illa, qua usi poetae ipsi nova metra excogitare potuissent, tum Senecae exemplo, qui carmina polymetra ad Stoicae artis praecepta composuisset. Sollerter sane haec et acute disputata; quamquam vereor ut vera sint omnia. Senecam primum neotericum fuisse ego quoque concedo; novos poetas nova metra adhibuisse non nego; neque vero quisquam facile mihi persuadebit novellos poetas novas has formas omnes ipsos excogitasse. Hoc enim — quod nos quidem scimus — solus Seneca in carminibus polymetris facere ausus est. Quod vero attinet ad reliquas formas a Seneca adhibitas et ad eas, quibus ceteri poetae utebantur, quos inter novellos Diomedes aliique enumerant, semper quaerendum est, num e Graecis illorum temporum exemplaribus novicia sua sumpserint. Quod argumentis utique confirmare nobis non licet, cum Graecorum versuum recentiora monumenta non multa tradita sint; tamen aliquot saltem metrorum supersunt exempla Graeca, quae cum Latinis istis comparari possunt.

Novellos igitur poetas novandi studio paenultimam tetrametri dactylici syllabam brevem reliquisse huiusque usus ipsos auctores fuisse Schultzius dicit, testimonio usus Terentiani vv. 1992 sqq.:

nam lyrici quotiens sua volunt
carmina per varios dare sonos,
pluribus illa modis ita novant.

---

[6]) Herm. XXII (1887), pagg. 260—81.

Sed haec forma illis temporibus etiam apud Graecos pervulgata erat; exemplum est carmen Valentini ab Hippolyto servatum, quod Wilamowitzius tractavit [7]):

πάντα κρεμάμενα πνεύματι βλέπω,
πάντα δ' ὀχούμενα πνεύματι νοῶ,
σάρκα μὲν ἐκ ψυχῆς κρεμαμένην,
ψυχὴν δ' ἀέρος ἐξ ἐχομένην,
ἀέρα δ' ἐξ αἴθρης κρεμαμένην,
ἐκ δὲ βυθοῦ καρποὺς φερομένους,
ἐκ μήτρας δὲ βρέφος φερόμενον.

Habemus trimetrum dactylicum catalecticum in syllabam, cui adiectus est paeon. Alterum exemplum fortasse praebet fragmentum papyri, quod Oxyrhynchi repertum est [8]). Hanc igitur formam Romani non ipsi invenerunt, sed a Graecis acceperunt; nam quod versus forma probatur, idem iam similitudo argumenti et in Valentini carmine et in versibus a Terentiano allatis docet; carmen enim Valentinianum, quod Θέρος inscriptum fuisse Wilamowitzius coniecit, est de πνεύματος vi omnia procreante; atqui res rusticas Anniani versus illi notissimi tractant Terent. Maur. 2001—4:

quando flagella iugas, ita iuga,
vitis et ulmus uti simul eant:
nam nisi sint paribus fruticibus,
umbra necat teneras Amineas.

Spectant igitur ad agrorum fertilitatem. Denique Graecum huius metri originem fortasse etiam Victorinus testatur, qui tradit a pastoribus Calabris id metrum adhibitum esse; quare a Graecis Calabrion appellari [9]). Unde Graecorum poetarum esse fetum

---

[7]) Herm. XXXIV (1899), pag. 218 sq.

[8]) Pap. Oxy. I, fgm. 15; cf. Gött. gel. Anz. 1898, pagg. 695—96.

[9]) Haec Victorini de Calabris pastoribus verba mihi non plane digna videntur esse, quibus fidem habeamus. Si enim forma dactylo-paeonica adeo vulgaris erat, ut Calabri pastores cantica ex ea componerent, quo iure Terent. Maur. docuit (v. 1994) poetas hoc metrum 'novasse'? Mihi quidem haec de Calabrio metro doctrina Victoriniana orta videtur esse ex falsa lectione verbi Graeci κόλαβρος, qua voce Athenaeus duobus locis (IV 164 E, XV 697 C) cantica quaedam parva et, ut videtur, lasciva significat. Quibus in componendis cum persaepe metrum dactylo-paeonicum adhiberetur, hoc metrum κολάβριον appellatum esse persuasum habeo. Victorinus autem, aut is grammaticus, quem exscripsit, pro κολάβριον legit καλάβριον, qua ex falsa lectione falsa doctrina orta

novandae artis studiosorum iudico, quamquam apud ipsos metricos nulla illius exstat memoria.

Aliter res se habet de hexametro miuro, quem scholia Hephaestionea tractant C 205, 3 et 290, 7 exemploque illustrant illo Homerico: 'Τρῶες δ' ἐρρίγησαν, ἐπεὶ (ὅπως 205, 3) ἴδον αἴολον ὄφιν', quem et ipsum versum Latine vertit Terentianus v. 1930: 'attoniti Troes viso serpente pavitant'. Hunc versum Latinum nihil ad hexametrum miurum pertinere Schultzius docet. Perturbavit enim iudicium viri docti, ut loco Terentiano quem supra attuli (v. 1994), terminus ille 'novitatis' v. 1922, ex quo a recentioribus poetis Latinis hanc formam novam inventam esse falso conclusit. Quam Romanos e Graeco illius aetatis usu sumpsisse cum Hephaestionis locus docet — nam quod Terentianus, ut Stoicus, hunc versum iambo claudi dicit (v. 1920), nihil valet ad sententiam meam infirmandam —, tum Lucian. Tragod. 312—24, quibus e versibus hexametrum miurum secundo saeculo Christiano versum popularem fuisse apparet[10]).

---

est. Mendosa lectio Latini grammatici quin in falsam Colabri interpretationem Graecam redeat ea de causa non dubito, quod Athen. XIV 631 D, ubi de κολαβρισμῷ agit, καλαβρισμὸς scribit, cum Pollux IV 100 rectam lectionem praebeat. Etiam Graecus igitur auctor mendosam verbi lectionem e falsa rei interpretatione ortam probavit; qua de causa Athenaei contextum mutare — quod fecit Kaibelius Pollucis lectione nixus — nullo modo licet.

[10]) Alia quoque observatio demonstrat versus Latinos ad usum Graecum conformatos, non a Stoicis Latinis inventos esse. Latinorum enim versuum verbum postremum nisi bisyllabum est, ultimi pedis accentus vehementissime abhorret a vocis pronuntiatione Latina (verborum enim plus duas syllabas continentium si paenultima brevis est, antepaenultima accentu effertur (‿́◡‿)). Hoc e Terentiani versibus 12 accidit 7, quin etiam versui 1930, quo Graecus ille versus miurus Latine vertitur. Contra Graeci versus semper fere paenultimam syllabam accentu efferunt, quod etiam in fragmento illo Oxyrhynchio (pap. Oxy. I 15) cognoscas, sive hexametri sunt hi versus sive tetrametri (supra annot. 8):

col. I v. 3 sqq.: . . . .]ουσι χιόνες
. . . .]ον δ' ὑπερέχειν
. . . .]ν ἥσυχον Ἄρης
. . . .]υς οὔτε νεμέσει
. . . .]ι με νόμοι
. . . .]ᾄσματα λύραι

Qua ex re satis apparet poetas Latinos hos versus non ipsos invenisse, sed a Graecis accepisse, quorum linguae dactylorum leges accommodatae erant.

Quae cum ita sint, novae illae formae, quas metrici Latini commemorant, ex parte quidem versus Graecis illorum temporum revera usitati erant, e quibus Romani, cum carmina veteribus formis pangere non iam satis haberent, nova cantica formabant[11]. Denique eadem est res de paroemiaco, ex quo illa aetate Graeca carmina stichice composita esse pap. Amh. nos docuit (cap. III, pag. 53). De hoc versu Terent. Maur. vv. 1816—22 haec habet:

atque ille poeta Faliscus,
cum ludicra carmina pangit,
'uva, uva sum, et uva Falerna,
et ter feror et quater anno':
libro quoque dixit eodem
'undae unde colonus eoae
a flumine venit Oronti'.

Poetam Faliscum, si Terent. Maur. 1998 sqq. cum Aphthon. GL VI 122, 12 sqq. conferes, Annianum fuisse facile tibi persuadebis. Annianus igitur in eodem libro, quo res rusticas versu illo dactylo-paeonico tractavit, etiam paroemiacum stichice ita adhibuit, ut ex eo solo carmina conficeret. Annianum autem neotericum poetam appellatum esse scimus[12].

Senecam in neotericorum numero a Diomede commemorari supra diximus (pag. 59). Quam neoterici appellationem Senecae a grammatico etiam propter anapaestorum usum tributam esse choricon illud mihi probare videtur, quod Apocolocynthosi continetur[13]. Hoc carmine, quod ex eisdem formis anapaesticis constat, e quibus chori tragoediarum, mors Claudii imperatoris παρατραγῳδιστὶ deploratur: qua re imitatio tragicorum illorum anapaestorum ridiculissima fit. Atqui v. 56 haec legimus:

vosque poetae lugete novi.

Haec vox sine dubio ad eos poetas spectat, qui illis temporibus mortem virorum clarorum anapaestis celebrabant, atque hos versus ad commiserationem maxime idoneos fuisse e Senecae Troadum carmine commatico illo (v. 67 sqq.) apparet. Opinor equidem huiusmodi carmina ipsa illa aetate pernotescere coepisse; ipsam enim novitatem causam fuisse, cur a Seneca quasi per

---

[11]) De termino illo 'novitatis' quae habeo commemoranda, cap. V absolvam (pag. 84 sq.).

[12]) Cf. G. Schultz, Herm. XXII (1887), pag. 277.

[13]) Petronius ed. Buecheler[4] (1904), pag. 236 sq.

ludibrium adhiberentur, ut fere omnia nova homines ridiculum in modum imitantes irridere solent. Eundem in modum novis formis Euripideis Aristophanem, dimetris anapaesto-iambicis Lucianum in Tragodopodagra usum esse intelleximus. Ut igitur Annianus eiusque aequales alterius saeculi poetae, qui Graecam anapaestorum artem imitarentur, novelli vel neoterici audiebant ita Seneca, cum ipse quoque Graecos in hoc artis loco sequeretur, novi poetae nomen tulit.

Ut summam faciam: testimoniis quae attuli Senecam poetas Graecos suae aetatis imitari comprobasse mihi videor. Si tamen est, ut animo cuidam religiosiori scrupellos reliquerim, eos cap. V me exempturum esse spero. Venio nunc a Seneca anxio Graecorum imitatore ad Senecam in arte Graeca metrorum novatorem. Differt enim ratio huius poetae a Graecis ea re, quod apud eum forma adonea vim quandam occupat, quam apud Graecos nunquam obtinere potuit.

Quinque formas monometrorum legitimas Seneca adhibet: ⏕⏕–⏕⏕– et –⏑⏑––[14]. Quas poetae Graeci, prout versuum ratio vel verborum quantitates ferebant, adhibere ita solebant, ut singulis anapaestorum formis diversitatem sententiae nullam subicerent. Ita etiam adoneum non nisi variandi causa anapaestis immiscuerunt, id quod Diomedes testari videtur, qui postquam GL I 511, 24 Sen. Med. 301 attulit, ita pergit: *admiscetur huic propter gratiam varietatis dimeter herous. nam tale est 'qui freta primus' quale 'terruit urbem'.* Recte hic Senecam protulit testem; nam etiam Senecam hoc variandi studio incitatum adoneum inter anapaestos posuisse certum est; at idem poeta saepissime aliis causis adductus est, ut simplicium anapaestorum ordinem adoneo interrumperet. Quae causae ex arte metrica linguae Latinae propria ortae erant. Romani enim in arte metrica verborum accentuationem observare nunquam destiterant, ut quae antiquissimis temporibus quasi norma versuum componendorum eis esset[15]. Graecorum ars metrica ab Ennii aetate apud Romanos exculta minuere quidem vim vetustioris valuit, non delere. Cuius rei praeter legem brevium

---

[14]) Ter admisit formam –⏑⏑ ⏑⏑–, Herc. fur. 1063, Herc. Oet. 186, 1883, semel Octaviae auctor v. 646; eandem licentiam admisit inter Graecos Clem. Alex. v. 51 πνεύματι δροσερῷ. Qua re id, quod de formis legitimis supra diximus (cap. II, pag. 31 et annot. 13), non redarguitur.

[15]) Cf. Norden, Antike Kunstprosa I 156 sqq.

breviantium quae dicitur verborum adornatio in hexametro observata luculentissimum testimonium est. Quamvis enim qualitas syllabarum et quantitas in primis quattuor pedibus dissentiant, concinunt in ultimis duobus, qui adoneum formant[16]. Contra in adoneis inter anapaestos receptis ictui versus cum vocis accentu discordiam, qua maior cogitari vix potest, oriri necesse est. Nam apud Romanos et verborum et versuum accentus expiratoriae naturae sunt, unde fit, ut iuxta positi inter se oppugnent et alter alterius vim quasi infringere studeat. Apud Graecos, ut qui diversis illis accentibus utantur — nempe sermonis chromatico quem dicunt, versuum expiratorio — collisio duorum accentuum paris naturae fieri omnino non potest. Quare adoneus Graecis insertus anapaestis nihil insoliti nec duri habebat; in re metrica Latina idem inter anapaestos admissus miram quandam vim vel etiam violentiam auribus atque sensui adfert. Maxime igitur idoneus hic adoneus erat, quo poetae uterentur et ad describendam animi commotionem et ad aures legentium ipsa metri insolentia perfringendas et pelliciendas. Observantibus nobis hanc singularem linguae Latinae condicionem non mirum videri potest, quod praeter Graecum illum adoneorum usum, qui variandae dictioni inservit, alius apud Senecam invenitur isque duplex, prout adonei anapaestis aut mediis immiscentur aut exeuntibus subiciuntur. Atque de immixtis illis adoneis haec praedicare licet: eis locis, quibus res magnae tractantur, quibus animos audientium permoveri poeta volebat, adonei occurrunt iterati; praecipue ad rem gravem quandam aut flebilem aut terribilem describendam adhibentur[17]. Alia autem virtus eorum adoneorum qui clausulae locum tenent videtur esse; ita enim clausulam adoneam Seneca adornavit, ut ea longo ordini metrorum vere anapaesticorum addita aut totius sententiae finem indicet aut partem sententiae

---

[16]) Cf. Corssen, Aussprache, Vokalismus und Betonung d. lat. Sprache (1870) II, pag. 969 sqq., et Gleditsch, Metrik d. Griechen und Römer (1901), pag. 287.

[17]) Non ignoro et Graecos poetas dactylos inter anapaestos saepe rei alicuius gravioris extollendae causa adhibuisse, quod praecipue Euripides facere solebat, recentioribus temporibus velut Porphyrius in versibus illis quos infra afferam (pag. 75) ἵστατο μὲν γᾶ sqq. Sed hic usus adventicius erat ut ita dicam, neque cum industria quaerebatur. Quod attinet ad Plautum, dactylos admittit, ut fors fert, quibus nullam vim παθητικὴν subicit.

terminari significet. Iam cuivis apertum erit, quanta differentia intercedat inter pronuntiationem adoneorum, quibus vel periodi integrae vel membra complexionum terminantur, et adoneos eos, qui finem hexametri absolventes saepissime etiam sententiam eiusve partem claudunt. Nam cum in hexametro animi concitationem ex discordia quantitatum et qualitatum ortam sub versus vel etiam sententiae finem consensus dissolvat, in novis formis, cum priora omnia leniter et leviter decurrant, in ipso fine comprehensionis animus vehementissime perturbatur. Hic usus optime consentit cum sermone παθητικῷ illius aetatis, quo id potissimum a scriptoribus appetebatur, ut audientium aures ipso verborum strepitu commoverent. Atque Seneca sermonis nervos etiam metrico hoc artificio intendere studebat, cum adoneum anapaestice pronuntiatum comprehensiones claudere iuberet.

Iam sequantur exempla, quae duplicem hunc adonei usum Annaeanum illustrent[18]). Ac primum quidem ex magna multitudine aliquot locos deligam, quibus adoneis iteratis res quaedam gravis aut flebilis aut terribilis describitur:

Herc. fur. 192: alium multis gloria terris
tradat et omnes fama per urbes
garrula laudet caeloque parem
tollat et astris; alius curru
sublimis eat: me mea tellus
lare secreto tutoque tegat.

Tro. 134: nil Troia semel te rege tulit,
bis pulsari Dardana Graio
moenia ferro bisque pharetras
passa Herculeas.

Med. 364: nunc iam cessit pontus et omnes
patitur leges: non Palladia
compacta manu regumque ferens
inclita remos quaeritur Argo —
quaelibet altum cumba pererrat;
terminus omnis motus et urbes
muros terra posuere sua,
nil qua fuerat sede reliquit
pervius orbis:

Phaed. 331: qua terra salo
cingitur alto quaque per ipsum
candida mundum sidera currunt:
haec regna tenet puer immitis,
spicula cuius sentit in imis
pervius undis rex Nereidum

Oed. 164: Mors atra avidos oris hiatus
pandit et omnes explicat alas;
quique capaci turbida cumba
flumina servat durus senio
navita crudo,

184: tum vapor ipsam
corporis arcem flammeus urit
multoque genas sanguine tendit,
oculique rigent et sacer ignis
pascitur artus; resonant aures
stillatque niger naris aduncae
cruor et venas rumpit hiantes;
intima creber viscera quassat
gemitus stridens. iamque amplexu
frigida presso saxa fatigant;

[18]) Senecae tragoedias ed. F. Leo 1879.

Agam. 78: impia quas non
arma fatigant? iura pudorque
et coniugii sacrata fides
fugiunt aulas;

Thy. 865: tecum excedent
ultima caeli sidera Pisces,
Plostraque numquam perfusa mari
merget condens omnia gurges;

Herc. Oet. 1901: mecum miserae plangite gentes,
audiat ictus utraque Tethys.
vos quoque, mundi turba citati,
flete Herculeos, numina, casus.

Alii loci sunt hi: Herc. fur. 1082, Med. 318, 335, 346, 792, Agam. 345, 673, Thy. 961, Herc. Oet. 656. — Venio nunc ad alterius usus exempla, in quibus singuli adonei puros anapaestos sequuntur, sententiae aut partis sententiae finem indicantes:

Herc. fur. 154: hic exesis
pendens scopulis aut deceptos
instruit hamos aut suspensus
spectat pressa praemia dextra:
sentit tremulum linea piscem.

1085: clavaeque gravi lassum solitus
mandare caput quaerit vacua
pondera dextra, motu iactans
bracchia vano. nec adhuc omnes
expulit aestus,

Tro. 157: felix Priamus dicimus omnes:
secum excedens sua regna tulit;
nunc Elysii nemoris tutis
errat in umbris interque pias
felix animas Hectora quaerit.

Phaed. 345: tunc vulnificos
acuit dentes aper et toto est
spumeus ore;
Poeni quatiunt colla leones
(343) et mugitu dant concepti
signa furoris: (349) cum movit Amor,
tum silva gemit murmure saevo.

Agam. 640: hinc aequaevi gregis Astyanax,
hinc Haemonio desponsa rogo
ducunt turmas, haec femineas,
ille viriles. festae matres
votiva ferunt munera divis;
festi patres adeunt aras,
unus tota est vultus in urbe;
et quod numquam post Hectoreos
vidimus ignes, laeta est Hecuba.

Thy. 850: Aries praeceps ibit in undas,
per quas pavidam vexerat Hellen;
hic qui nitido Taurus cornu
praefert Hyadas, secum Geminos
trahet et curvi bracchia Cancri;
. . . .
(857) cadet in terras Virgo relictas
iustaeque cadent pondera Librae
secumque trahent Scorpion acrem;
et qui nervo tenet Haemonio
pinnata senex spicula Chiron,
rupto perdet spicula nervo;
pigram referens hiemem gelidus
cadet Aegoceros frangetque tuam,
quisquis es, urnam;

952 maeror lacrimas amat assuetas,
flendi miseris dira cupido est.
libet infaustos mittere questus,
libet et Tyrio saturas ostro
rumpere vestes, ululare libet.

Herc. Oet. 189: me vel Siculis addite saxis,
ubi fata gemam Thessala Siren,
vel in Edonas tollite silvas
. . . .
(194) formam lacrimis aptate meis
resonetque malis aspera Trachin.
Cyprias lacrimas Myrrha tuetur,
raptum coniunx Ceyca gemit,
sibi Tantalis est facta superstes;
fugit vultus Philomela suos

natumque sonat flebilis Atthis:
. . . .
. . . . (202) felix, felix,
cum silva domus nostra feretur
patrioque sedens ales in agro
referam querulo murmure casus
volucremque Iolem fama
loquetur.

vidi, vidi miseranda mei
fata parentis, cum letifero
stipite pulsus tota iacuit
sparsus in aula:
a si tumulum fata dedissent,
quotiens, genitor, quaerendus
eras?

Paucos locos descripsi; exstant permulti: Herc. fur. 177, 1115, Tro. 100, 113, Med. 802, Phaed. 981, Agam. 348, Thy. 808, 818, 875, Herc. Oet. 614, 1863, 1872, 1894, 1909. Hanc adonei adhibendi rationem Annaeanam optime ita illustrare mihi videor, ut poetam nostrum membra (κῶλα) rhetorica membris metricis adaptasse dicam, quo facilius verborum constructio intellegeretur. Ut igitur a rhetoribus comprehensiones aut partium comprehensionis fines, ut vel auribus perciperentur, metrice exire iubebantur, ita Seneca, quippe qui ne in versibus quidem componendis se rhetorem esse negaverit, in carminibus anapaesticis adoneos sententiarum clausulae munere fungi voluit. Quae cum ita sint, nemo mirabitur, quod idem artificium rhetoricum etiam eis locis poetae nostro se obtulit, quibus ceteroquin adoneus variandi illo usui Graeco inservit. Cuius rei exempla afferam ex sescentis pauca:

Tro. 83: fidae casus nostri comites,
solvite crinem, per colla fluant
maesta capilli tepido Troiae
pulvere turpes:

Duabus comprehensionibus Troades iubentur crinem solvere; verba 'tepido . . . turpes' attributive cum 'capilli' coniuncta suum explent κῶλον, quod claudit adoneus.

Tro. 137: post elatos
Hecubae partus regumque gregem
postrema pater funera cludis
magnoque Iovi victima caesus
Sigea premis litora truncus.

Habemus duas comprehensiones, quarum utraque adoneo clauditur; sed in posteriore participium attributive cum subiecto coniunctum per adoneum a verbis subsequentibus seiungitur.

Phaed. 59: tua Gaetulos
dextra leones, tua Cretaeas
sequitur cervas; nunc veloces
figis damnas leviore manu.
tibi dant variae pectora tigres,

tibi villosi terga bisontes
latisque feri cornibus uri.
quidquid solis pascitur arvis,
sive illud Arabs divite silva
sive illud inops novit Garamans
(71) vacuisque vagus Sarmata campis, . . .

In vv. 59—61 subiectum et praedicatum non mutatur; at duae res praedicato obiectae sunt, quae non modo per anaphoram (tua — tua), sed etiam per adoneos seiunguntur. Simili ratione vel duorum diversorum subiectorum alterum ab altero arte metrica separatum est vv. 64—65 et vv. 67—71. Nulla iam illustratione egent hi loci:

Med. 808: assuesce, manus,
stringere ferrum carosque pati
posse cruores —
Phaed. 23: alius rupem dulcis Hymetti,
parvas alius calcet Aphidnas:
54: ades en comiti, diva virago,
cuius regno pars terrarum
secreta vacat, cuius certis
petitur telis fera quae gelidum
potat Araxen et quae stanti
ludit in Histro.

Iam loco illo quem supra descripsimus (Herc. Oet. 189 sqq., pag. 66 sq.) adoneus 'stipite pulsus' (v. 209) non clausulae munere fungitur, sed participium attributive cum subiecto coniunctum a verbis sequentibus seiungens variationi inservit. Haec adonei adhibendi ratio singularis, qua idem adoneus et variandi causa usurpatur et verborum constructioni facilius intellegendae inservit, effecit, ut saepe longus ordo brevium membrorum rhetoricorum ita decurrat, ut singula membra rhetorica singulis membris metricis, quae ex metro anapaestico uno et adoneo constant, exprimantur; quod iam ex eis exemplis, quae attulimus, apparet, quippe cum persaepe binis monometris — anapaestum dico et adoneum (⏔–⏔ | –⏑⏑––) — singulae sententiae vel sententiarum partes contineantur. Neque vero desunt loci, quibus membris illis anapaesto-adoneis non membra rhetorica subiecta sunt, sed nihil nisi metrorum varietas petitur, velut:

Herc. fur. 139: pastor gelida cana pruina
grege dimisso pabula carpit;
ludit prato liber aperto
nondum rupta fronte iuvencus,
vacuae reparant ubera matres;
Med. 817: tu nunc vestes tinge Creusae,
quas cum primum sumpserit, imas

urat serpens flamma medullas.
ignis fulvo clusus in auro
latet obscurus, quem mihi caeli
qui furta luit viscere feto
dedit et docuit condere vires
arte, Prometheus.

Agam. 64: non sic Libycis syrtibus
aequor
furit alternos volvere fluctus,
non Euxini turget ab imis
commota vadis unda nivali
vicina polo,

Thy. 926: magnum, ex alto
culmine lapsum stabilem in plano
figere gressum; magnum, ingenti
strage malorum pressum fracti
pondera regni non inflexa
cervice pati . . .

Herc. Oet. 658: coniunx modico
nupta marito
non disposito clara monili
gestat pelagi dona rubentis,
nec gemmiferas detrahit aures
lapis Eoa lectus in unda,

Eandem compositionem reperias Herc. fur. 185, 1079, Med. 798, Thy. 806, 838, Herc. Oet. 693, 1157; quam saeculo quarto Boethius stichice imitatus est (cf. infra pag. 75).

Non pluribus exemplis opus est, quibus demonstretur differentiam magnam intercedere inter adonei usum Graecum et Annaeanum, quae etiam eis locis persaepe elucet, quibus adoneus Graeco illo munere variandi fungitur, id quod exempla quae postrema attulimus docuerunt. Haec vero differentia fluxit e diversa arte metrica Graeca et Latina, inservit autem adoneus Annaeanus praeter Graecam illam metrorum variationem conformationi sententiarum et affectuum descriptioni. Quare Senecam nova adoneorum ratione usum etiam in singulorum metrorum sive monometrorum compositione plura novasse nemo mirabitur. Et Seneca in adornanda synaphia quamquam Graecorum se sectatorem esse minime dissimulat, tamen a severa Graecorum ratione recessit, cum in fine adoneorum liberiorem et syllabae ancipitis et hiatus usum sibi concederet.

Seneca[19]) 82ies synaphiam neglexit; 34ies syllabam ancipitem admisit, 34ies hiatum, syllabam ancipitem una cum hiatu 14ies.

Ac primum quidem eos locos tractemus, quibus exstat syllaba anceps. Quae in fine comprehensionis occurrit 20ies, in levioribus sententiarum incisis 8ies, in media sententia 6ies. Quo in usu quid Graecis debeat exemplis, quid ipse novarit Seneca si quaerimus, adonei ratio illa adhibendi Annaeana duplex, quam supra cognovimus, nobis respicienda est. In sententiarum fine et in levioribus incisis Seneca post formas vere anapae-

[19]) Octaviam postea (pag. 71) tractabo.

sticas (⏑⏑–⏑⏑–) ultimam syllabam brevem reliquit 10ies[20]; qua ex re intellegitur etiam in exemplaribus Graecis syllabam ancipitem in fine comprehensionum admissam esse. Qui usus quod apud poetam Latinum saepius post adoneum occurrit (18ies)[21], nemo mirabitur, qui adoneum saepissime apud Senecam clausulae munere fungi intellexerit. — In media autem sententia syllabam ancipitem Seneca post formas anapaesticas nunquam tulit, sed nisi post adoneum non admisit[22]. Quod sine dubio non ita esset, si etiam Graecis exemplaribus hic usus proprius fuisset. Hic dicat quispiam Senecam, ut adoneo in media sententia admisso Graecorum usum secutus sit, qui variandi gratia eum ceteris formis immiscuerint, ita etiam syllabae ancipitis in media sententia admissae licentia Graecorum sectatorem fuisse. Hanc argumentationem equidem refello. Ut enim vim illam παθητικήν, quam poeta Latinus adoneis dederat, a finibus comprehensionum in medias sententias transtulit, ubi nulli rei inserviebant nisi variationi (cf. supra pag. 68), ita syllabam ancipitem, qua vis adonei etiam augebatur, una cum adoneo transtulit in medias sententias. Ea igitur re Seneca novavit, quod syllabam ancipitem post adoneos etiam in mediis comprehensionibus admisit. Hanc nostram argumentationem veram esse eis locis probatur, quibus syllaba anceps una cum hiatu admissa est. Quae licentia in fine sententiarum occurrit post adoneum septies, post ⏑⏑–⏑⏑– quater[23], in levioribus incisis modo Agam. 395 post adoneum, in media sententia Agam. 79 et Herc. Oet. 1989 post adoneos.

Hiatum quoque nisi in sententiarum incisis apud Graecos poetas non adhibitum esse certum reddit Senecae imitatio, qui eum in fine comprehensionis aut in levioribus incisis admisit

[20]) In sententiarum fine Herc. fur. 1134; Tro. 131, 720; Phaed. 30, 43; Thy. 881; Herc. Oet. 1913, 1918. In levioribus incisis Tro. 724; Thy. 832.

[21]) In sententiarum fine Tro. 78, 103, 141, 731; Med. 372; Oed. 158; Agam. 347; Phaed. 347, 988; Thy. 868, 877, 878. In levioribus incisis Herc. fur. 1056; Oed. 186; Agam. 88, 368; Herc. Oet. 678, 1211.

[22]) Herc. fur. 170; Agam. 85, 104, 398; Herc. Oet. 594, 1281. — Herc. Oet. 181, ubi post veros anapaestos syllaba anceps exstat: 'pariter cuncta | deflere iuvat' sine dubio corruptus est; probo Richteri coniecturam: 'pariter cuncta ⟨a⟩ deflere iuvat'.

[23]) Post adoneum Herc. fur. 158, 1081; Tro. 95, 97; Agam. 646, 843, 859. Post ceteras formas Med. 832; Phaed. 1143; Agam. 61; Herc. Oet. 177.

32ies[24]), in media sententia modo Thy. 948 et Herc. Oet. 598. Quam novitatem qua de causa tam raro adhibuerit si quaeras, iterum adonei vis παθητική, qua Annaeus hanc formam exornavit, respicienda est. Cum enim syllaba anceps vim adonei augeret, ita ut saepius eam adhibere poeta non sine causa studeret, hiatu aures audientium non vehementer percellebantur. Itaque in hiatus usu Graecam legem sequi Seneca satis habuit, nihil novi excogitavit, sed duobus illis locis casu magis quam industria synaphiam laesit, quod etiam ea re verisimile redditur, quod altero loco (Herc. Oet. 598) etiam post formam non adoneam hiatum admisit.

Seneca igitur synaphiae neglegendae licentiam, quam Graeci modo in fine comprehensionis et nonnunquam in levioribus sententiarum incisis admiserunt, una cum adonei violentia, quam ipse huic formae dederat, a fine comprehensionum in medias sententias transtulit. Hanc Annaeanam novitatem Octaviae auctor magna voluptate suscepit. Cum enim Seneca ipse ex 82 locis modo decies in media comprehensione synaphiam neglexerit (14%), Octaviae auctor e 51 locis 13ies eandem licentiam praebet (34%)[25]). Sed nunquam poeta in media sententia syllabam ancipitem tulit post formam non adoneam[26]), qua re in legem a Graecis ipsis de synaphia constitutam sine causa peccavisset[27]).

[24]) In fine comprehensionis post adoneum Herc. fur. 168, 171, 1095; Phaed. 34, 53, 80, 350; Agam. 381, 652; Thy. 820; Herc. Oet. 210, 1891. Post ◡◡–◡◡– Tro. 115, 706, 728; Med. 827; Phaed. 8, 337; Oed. 986; Thy. 958; Herc. Oet. 1878. In levioribus incisis post adoneum Tro. 108; Med. 342, 828, 965; Agam. 327; Thy. 849; Herc. Oet. 1924. Post ceteras formas Herc. fur. 1113; Med. 348; Agam. 68; Herc. Oet. 222.

[25]) Syllabam ancipitem notavi in fine comprehensionis post adoneum 71, 309, 330, 777, 806, post ◡◡–◡◡– 316, 319, 662, 675, 907; in levioribus incisis post adoneum 28, 62, 331, 655, 768, 809, 955, post ◡◡–◡◡– 67, 204. Syllaba anceps una cum hiatu occurrit in fine comprehensionis post adoneum 17, 334, 370, 668, post ◡◡–◡◡– 4, 323; in levioribus incisis modo post adoneum 936, 976. Hiatus admissus est in fine comprehensionis post adoneum 88, 97, 685, post ◡◡–◡◡– 658, 813, 969, 978; in levioribus incisis post adoneum 21, 206, post ◡◡–◡◡– 687, 778. In media sententia syllaba anceps occurrit octies (26, 94, 306, 320, 342, 899, 965, 979), syllaba anceps una cum hiatu bis (336, 362), hiatus post adoneum bis (16, 897), post ◡◡–◡◡– 374.

[26]) De v. 374, quo hiatus post puros anapaestos in media sententia exstat, cf. quod de Herc. Oet. 598 supra diximus.

[27]) Non me fugit etiam inter singulas fabulas, quae Annaeanae traduntur, magnam differentiam rationis anapaestica cantica conficiendi

Iam a Seneca Graecorum imitatore et novatore Latino nos convertamus ad ipsa exemplaria Graeca, quibus quales leges de synaphia constitutae fuerint ex usu Annaeano cognovimus. Ac primum quidem difficillimam illam quaestionem expediamus, utrum poetae Graeci, quos Seneca imitabatur, monometros stichice per synaphiam connexuerint, an dimetros, quibus interdum monometros inseruerint, quod de Seneca docuit Leo (cf. supra annot. 1), an hypermetra formaverit. Mihi quidem res in aperto videtur esse et ea, quae cap. III de anapaesticis recentiorum temporum formis intelleximus, respicienti, et ea, quae de adonei usu Annaeano modo disseruimus, memoria tenenti. Monometros stichicos, quippe quos primus composuerit Clemens Alexandrinus (supra pag. 49 sq.), Senecae exemplaria non adhibuerunt. Sed ne dimetros quidem poetas Graecos confecisse verisimile est; quod si fecissent, nullo modo Latinus ille usus adonei, quo ut clausula haec forma comprehensiones terminabat, oriri potuisset. Saepe enim adoneus, ubi clausulae sine dubio munere fungitur, priorem dimetri locum tenet[28]); clausulam autem in medio versu adhiberi posse si quis putat, insanit. Itaque nemini dubium erit, quin poetae Graeci, quos Seneca imitabatur, hypermetra composuerint e metris anapaesticis formarum ⏔⏖⏔–. Quod qui persuasum habebit, intelleget et quo modo lex illa Graeca oriri potuerit, quae syllabam ancipitem hiatumve nisi in fine complexionum adhiberi vetabat, et usus adonei Annaeanus, quo haec forma ut clausula finem comprehensionis significabat.

Duae restant res, quibus peractis totam huius formae anapaesticae naturam notam habebimus. Inquirendum enim est, num Graeca huius usus monumenta exstent, et unde poetae Graeci, quos Seneca imitatus est, novam rationem compositionis hypermetricae sumpserint investigandum.

Graecum hypermetrorum anapaesticorum monumentum unicum superest, et ipsum quoque recentioris aetatis mala imitatione corruptum. Julianus enim in Caesarum convivio[29]) cantilenam composuit, cuius exemplum erat canticum, quo praeco

---

intercedere. Praecipue Agamemno, Thyestes, Hercules Oetaeus et adonei usum Annaeanum et synaphiae neglegentiam multo frequentiorem praebent et perfectiorem, quam ceterae tragoediae. Qua de re hoc loco fusius disserere longum est, praesertim cum non spectet ad Graecum usum intellegendum.

[28]) Velut Herc. fur. 1088; Phaed. 344; Agam. 643; Thy. 928.

[29]) Julianus rec. Hertlein 1875/6, pag. 409—411.

ludorum gymnicorum initium renuntiare solebat. Hoc canticum iam secundo saeculo exstitisse Pseudo-Lucianus in Demonactis vita[30]) testatur, qui Demonactem morientem haec facit pronuntiantem:

λήγει μὲν ἀγὼν τῶν καλλίστων
ἄθλων ταμίας, καιρός τε καλεῖ
μηκέτι μέλλειν.

Hoc carmen paroemiaco caruisse Juliani imitatio verisimile reddit, quamquam hic synaphia saepius falso loco admissa usui Clementiano monometros componendi appropinquavit; v. 17—18 enim bis syllaba anceps occurrit in media sententia:

ἴτ', ἐς ἀντίπαλον
ἵστασθε κρίσιν,
οἷς τε φρόνησιν . . .;

v. 10. eadem licentia admissa est:

οἱ πρὶν βασιλεῖς ἔθνεα πολλὰ
δουλωσάμενοι . . .

Hic usus syllabae ancipitis sine dubio licentia est recentiorum temporum; ei poetae Graeci, quos Seneca sequebatur, nisi in fine complexionum synaphiam non neglexerunt; quam legem etiam Clemens Alexandrinus observavit, qui cum vv. 11—25 monometros stichice componeret, tamen neque syllabam ancipitem admisit neque hiatum, sed legem hypermetris constitutam in monometrica compositione servavit[31]).

Iam investigemus, unde Graeci poetae, quos Seneca imitatus est, novam rationem anapaestos componendi sumpserint. Hac in re Fridericus Leo nobis auxilio venit, qui Mus. Rhen. vol. 52^A (1897), pagg. 509—518 alia ratione atque ego demonstravit Senecam suae aetatis poetas Graecos imitatum esse. Comparat enim Senecae artem cantica conficiendi cum monodiis Euripideis, quorum compositionem tragicos poetas Graecos iam aetate Alexandrina imitatos esse ex fragmento Grenfelliano et e Plautinis canticis cognitum est. Eandem artem Seneca adhibuit, ita ut hunc poetam Graecos poetas tragicos suae aetatis imitari apertum fiat. Quod de polymetris carminibus prima lectione manifestum est. Quorum usus anapaestorum, velut

---

[30]) Lucianus ed. Jacobitz 1877, vol. II, pag. 206.

[31]) V. 6, ubi synaphia neglecta est, sententiae pars terminatur: τοὺς σοὺς ἀφελεῖς | παῖδας ἄγειρον, | αἰνεῖν ἁγίως . . . Χριστόν.

Phaed. 1123 sqq., simillimus est ei, quem in Euripidis monodiis observavimus, nisi quod anapaesti apud Senecam frequentiores adhibentur. Talia autem polymetra tum etiam apud Graecos nota fuisse 'Ara' Besantini et fragmentum Ptolemaënse (pag. 45) certum reddunt. Graeci igitur poetae primo saeculo Christiano sine dubio hypermetra anapaestica, quae usque ad id tempus aut parciora aut frequentiora inter alienas formas lyricas adhibuerant, tum separaverunt et carmina ex eis solis composuerunt. Secundo saeculo dimeter ille diaeresi carens inter monometros receptus est, qua re hypermetra e dimetris et monometris orta sunt, quorum monumentum praestantissimum hymnus ille Philostrateus εἰς Θέτιν praebet. Clemens autem primum hypermetra e monometris composita mutavit in monometros per synaphiam connexos, tum, synaphia sublata, e versibus monometricis carmina pangere suae aetatis poetas docuit.

Haec sunt, quae de hypermetris anapaesticis dicenda habeo. Adiciam nonnullorum monumentorum Graecorum et Latinorum tractationem, quorum ars metrica adhuc dubia erat. Fragmentum hymni εἰς Δία ab Aristide 47, 30 traditum utrum ex hypermetris constiterit an systemata formaverit paroemiaco absoluta[32]), dubium est, cum perpauca modo supersint:

Δία τὸν πάντων ὕπατον κλῄζω . . .
πολὺ γὰρ πολύ μοι τὸ μέσον βιότου
μέλπειν τε θεοὺς ἔν τ' εὐφροσύναις
ἦτορ ἰαίνειν ὑπὸ παιδονόμῳ
τοιῷδε . . .[33])

Porphyrii[34]) duo fragmenta hymni εἰς Ἀπόλλωνα utrum ex hypermetris constiterint an e monometris Synesianis valde dubites, cum synaphia persaepe corrupta sit. Equidem hymnum ex hypermetris compositum, synaphiam, ut in Juliani cantilena,

[32]) Neque enim illa aetate systemata formari desita sunt. Supersunt duo fragmenta hymni in Apollinem (Porphyrius ed. Nauck, pag. 61 et in librorum de philosophia ex oraculis haurienda fragmentis ed. G. Wolff, pag. 159), quae parodorum anapaestos imitari verisimile est, quamquam et hiatus semel occurrit in ipso systemate, neque omnia systemata — vixdum hac voce tales compositiones signare nobis licet — paroemiaco conclusa fuisse videntur. Sed hanc rem singularem iam in fragmento Berolinensi supra (pag. 29) observavimus.

[33]) τοιῷδ' ὑπὸ π. codd., traiecit Wilamowitzius.

[34]) Librorum de philosophia ex oraculis haurienda fragmenta ed. G. Wolff, pag. 125.

non iam diligenter observatam fuisse opinor, quod illa aetate, cum monometri in usu essent, facile fieri potuit:

ὦ μέγα πᾶσιν χάρμα βροτοῖσιν
ἀπὸ σῶν ἱερῶν ματέρος ἁγνᾶς
προθορὼν τοκετῶν . . .
ἀλλ' ὅτε Λατὼ
ὠδὶς ἱερὰ λάζετο πᾶσαν,
ὀροθυνομένων διδύμων τοκετῶν
ἔνδοθι σηκῶν, ἵστατο μὲν γᾶ,
ἵστατο δ' ἀήρ, πάγνυτο νᾶσος,
πάγνυτο κῦμα·
ἀνὰ δ' ἐξέθορες μάντι Λυκωρεῦ,
τοξότα Φοῖβε,
κατὰ χρησμολάλων, βασιλεῦ, τριπόδων. —

Quod attinet ad monumenta Latina, iam commemoravimus (supra pag. 69) Boethii[35]) imitationem stichicam membrorum dimetricorum formae ⏓⏓–⏓⏓– | –⏑⏑––, quae iterata saepissime Seneca adhibuit. Sed Boethius persaepe — id quod neque Seneca umquam admisit neque metrici scriptores probabant — ultimam syllabam metri prioris dissolvit, antecedentes aut longas formavit, aut primum quoque pedem dactylicum construxit, ita ut tetrametros dactylicos edidisse videatur: I 5, 16. 33. III 2, 11. 19. IV 6, 19. 26. V 3, 6. 13. 26. Raro in eodem metro dactylus anapaestum sequitur: III 2, 10. IV 6, 29. Uno loco (IV 6, 20) etiam posterius metrum in duas syllabas breves exit. — Apud Ausonium et Luxorium adonei frequentia tanta est tamque molesta, ut natura eius singularis, quam apud Senecam observavimus, plane evanuerit. Nam neque iam sententias claudit, neque argumento augendo inservit. Synaphia — quod praecipue apud Ausonium observavi — non iam certis locis certisque de causis soluta est, sed ubique, et post adoneum et post alias formas. Qua re fortasse monometrorum usum stichicum poetae imitari studebant. In altero carmine Ausonii (pag. 67 Peiper) quini monometri quasi strophas formant; alterum (pagg. 54 – 56) simillimum est Synesii hymnis. Non diligentior in anapaestorum compositione Luxorius est, qui, ut Boethius, in quantitatem syllabarum nonnunquam peccavit, velut Anthol. Lat. I 1, 322, 3: 'coniugis castae' et 357, 8: 'cui dedit plures'. Corruptae labentisque artis indicium etiam

[35]) Boethius de consolatione philosophiae rec. R. Peiper (1871).

formarum paucitas est; nam praeter adoneum una forma ◡◡––– occurrit, semel (322, 4) ◡◡–◡◡–. — Magna illa adonei frequentia quibus de causis tum orta sit, facile intellegitur. Adoneos enim poetae Latini multo facilius formare poterant, quam monometros vere anapaesticos, quippe in quibus difficillima diaereseos post singula metra observatio esset. Iam Varroni anapaesti difficultatem parabant, quod spondei plurimi anapaestorum loco adhibiti demonstrant; sed cum Plautum secutus ubique pro anapaesto dactylum ponere Varro sibi concederet, res facilius perficiebatur. Monometros anapaesticos summa arte constructos primus atque solus e Romanis Seneca composuit; quem seriores, praeter Octaviae auctorem, nullo modo adaequabant. Contra dactyli facilius formabantur, quam anapaesti; quod hexametrorum usus Romanos docuerat; itaque, cum ultimam monometri syllabam longam dissolvere ex Senecae temporibus non iam liceret, adoneum adhibuerunt, qui syllabam ancipitem ubique ferebat, monometros anapaesticos raro formaverunt, sed, cum anapaestos adhibere volebant, paroemiacos praeferebant, qui diaeresi carebant et, cum hexametri usitatissimi pars essent, facillime formabantur.

Pauca adiciamus de hoc paroemiaco, ex quo carmina a poetis Graecis composita esse collectionis Amherstianae papyrus testatur. Quod quo tempore factum sit apparet ex imitatione Romana[36]). A Sereno enim poeta Latino paroemiacum stichice adhibitum esse Diomedes testis est (GL I 514, 6—8). Hunc poetam medio fere saeculo secundo vixisse ex Terentiano Mauro verisimile fit. Hic enim grammaticus, quem sub finem saeculi secundi de re metrica scripsisse G. Schultzius l. c. docuit, Serenum 'nuper' carmina composuisse dicit v. 1891. Eadem igitur aetate, qua Lucianus et Mesomedes carmina dimetris anapaesto-iambicis et paroemiacis componebant, etiam e solis paroemiacis Graeci poetae cantilenas conficiebant.

---

[36]) Cf. supra pag. 57. Romani paroemiacos multo liberius formabant, quam Graeci. Hi enim spondeos nisi in primo pede rarissime ferebant. Romani autem spondeos in primis duobus pedibus semper admittebant; tertium pedem purum relinquebant praeter Anthol. Lat. 1524, 1. Solus Prudentius ipsam Graecam elegantiam imitatus est in hymno ad exsequias defuncti (pag. 58 sqq. Dressel); qui nisi primo pede spondeos non recepit. Uno loco occurrit 'Ἐρασμονίδη Χαρίλαε', in Hosidii Medeae v. 35: 'quid, o pulcherrima coniunx'. Eiusdem tragoediae duo versus, id quod grammaticorum praeceptis repugnat, alterum pedem dactylice formaverunt, 42: 'felix heu nimium felix' et 295: 'armatam facibus matrem'.

Hic paroemiaci usus stichicus mihi initium videtur esse studii illius stichicarum formarum anapaesticarum, quo poetas Graecos inde a medio saeculo altero Christiani aevi inflammatos esse cap. III vidimus. Paroemiacorum usum poetae e Tyrtaeo et Cratino ceperunt, quorum carmina tum nota fuisse Dio Chrysostomus testatur, qui or. II pag. 92 R Tyrtaei versus affert, et Hephaestio, qui 27, 3 C Cratini usum commemorat. Aliae quoque formae lyricorum veterum illa aetate denuo in usum venerunt, ut Anacreonteum et Hipponacteum (cf. pag. 53 sq.). Sed non modo e poetis lyricis, sed etiam e tragoediarum cantilenis poetae formas singulares sumebant stichiceque adhibebant, quod de forma illa dactylo-paeonica iam Wilamowitzius observavit Herm. XXXIV (1899), pag. 218 sq.; Sophocles enim ea usus est Oed. Col. 216—223, ego eam repperi Eur. Andr. 137. Praecipue autem anapaesticas formas poetae e tragoediarum partibus lyricis ceperunt, ad quas paroemiaci observatio Euripidei eos duxit. Quem cum ab Euripide populari modo, id est non clausulae munere fungentem, in canticis adhibitum, quin etiam, ut apud Tyrtaeum et Cratinum, iteratum viderent, alias formas, quae aut anapaestos continebant aut anapaestis similes erant, in eisdem canticis adhibitas invenirent, stichice eas, ut paroemiacum, componere constituerunt. Ita Luciani et Mesomedis usus ille ortus est, quem cap. III explanavimus.

Iam apparet, quantum intersit inter poetarum studia saeculi secundi et eorum poetarum, quos Seneca imitatus est. Ei enim poetae Graeci, qui Neronis temporibus anapaestica carmina pangebant, ex suae aetatis canticis polymetricis, in quibus et alia metra et anapaesti inerant, hypermetra anapaestica segregaverunt carminaque solis hypermetris construxerunt (supra pag. 74). At secundi saeculi poetae stichicas formas anapaesticas e vetustissimorum poetarum thesauro deprompserunt; quae quo rariores occurrebant, eo libentius adhibebantur. Hoc studium sine dubio ortum est ex antiquitatis amore illo, quo saeculo secundo cum Hadriani aequales tum Hadrianum ipsum flagrasse scimus[37]. Tamen saeculi primi et secundi poetas cognatione quadam inter se coniunctos fuisse cap. V intellegemus.

---

[37]) Illa aetate etiam threneticos quos vocamus anapaestos poetae hymnorum imitandos sibi proposuerunt, quod apparet ex Mesomedis versibus, qui antecedunt hymnum in Solem: εὐφαμείτω πᾶς αἰθὴρ κ. τ. λ. Eadem forma exstat in hymno in Attin composito, quem tradit Hippolytus (cf. Lyrici Graeci III[4], pagg. 685—6): Ἄττιν κλήσω τὸν Ῥείης κ. τ. λ.

Iam ea colligamus, quae recentiorum temporum scriptores metrici de anapaestis dixerunt, qua re universa studia metrica poetarum et Graecorum et Latinorum, qui tum erant, plane aperta fient.

Caput V.

Metrici scriptores recentiorum temporum Alexandrini et Stoici quid de anapaestis docuerint.

Recentioris aetatis enchiridia metrica, quibus solis purae doctrinae metricae vestigia nobis traduntur, novorum temporum commutationes non paucas praebent; quippe quae, ubi Alexandrinam disciplinam reddunt, leges veteres atque bonas non modo non integras, sed etiam depravatas praebeant, ubi Stoicorum praecepta exhibent, in recentiorum poetarum studia metrica nonnunquam respiciant. Quas commutationes et novationes hoc capite tractabimus. Qua in re cum de auctoribus quaerere supervacaneum sit, de scriptoribus metricis ipsis, quo modo inter se cohaereant et quid alter alteri debeat, ut cap. II non disputabo, praesertim cum novi nihil addere possim. Satis habebo, ubi scriptorum metricorum verba afferre cogar, nomini grammaticorum, si fieri poterit, quo quisque ex fonte hauriat, uncis inclusum adicere.

Quibus rebus praepositis iam ad ipsam doctrinam metricam nos convertamus, quatenus ad anapaestorum condendorum rationem spectat. Ac primum quidem, ut capite altero, de Alexandrinis agam, tum de Stoicis.

Lex illa, qua in priore tantummodo metri anapaestici parte dactylo locus concessus est (pag. 31), quamquam a poetis observatur, tamen apud scriptores metricos recentiorum temporum oblivione obruta est. Nulla enim eius commemoratio apud metricos ex Alexandrina schola pendentes, qui quidem ad nos pervenerunt, exstat. Quod iure mireris, cum scholio illo Hephaestioneo (pag. 131, 20 sqq. C, vide cap. II, pag. 31) probetur legem istam re vera ab Alexandrinis fuisse constitutam, idemque ex enumeratione formarum, quae pro anapaestis adhibentur, colligi possit; quam integram servaverunt hi loci: schol. Heph. 275, 15—18 C (= Heliodorus): τὸ δὲ ἀναπαιστικὸν . . . κατὰ πᾶσαν χώραν δέχεται ἀδιαφόρως σπονδεῖον καὶ ἀνάπαιστον, σπανίως δὲ προκελευσματικόν, παρὰ δὲ τοῖς δραματοποιοῖς [καὶ ἴαμβον] καὶ δάκτυλον, et fgm. Bob. GL VI 624, 23 sq. (Juba = Heliodorus): *anapaesticum metrum constat anapaesto et spondio indifferenter, et solutione anapaesti, proceleumatico pede et dactylo.* Utramque

lectionem ad eundem fontem redire verbum ἀδιαφόρως 'indifferenter' testatur. Verba καὶ ἴαμβον, quae etiam in contextu Hephaestioneo exstant, a Juba non lecta esse ex fragmento Bobiensi apparet. Itaque ne Heliodorum quidem ea scripsisse existimo. Quae qua re in contextum inciderint Trichae (= schol. Heph. = Heliod.) testimonio explicatur, qui 381, 19 C καὶ ἴαμβον non praebet, pergit autem: τὸ δὲ Αἰολικὸν ἀναπαιστικόν, ὅπερ ἴαμβον δέχεται ἕνα ἐν τῇ ἀρχῇ. Haec verba cum scholiasta Hephaestioneus omitteret, tamen adiecta iambi voce idem exprimere conatus est; at cum falso loco additamentum insereret, sententiam non modo obscuravit, sed corrupit. — Hi porro auctores quamquam verbum ἀδιαφόρως omittunt, tamen in cetera doctrina cum locis allatis consentiunt: Heph. 24, 13—15 C: τὸ δὲ ἀναπαιστικὸν κατὰ πᾶσαν χώραν δέχεται σπονδεῖον ἀνάπαιστον, σπανίως δὲ καὶ προκελευματικόν, παρὰ δὲ τοῖς δραματοποιοῖς καὶ δάκτυλον. Trich. 381, 16—19 C (= schol. Heph. = Heliod.): καὶ τὸ μὲν αὐτοῦ ἐστι τὸ καθαρὸν ἀναπαιστικόν, ὅπερ κατὰ πᾶσαν χώραν ἀνάπαιστον δέχεται καὶ σπονδεῖον, σπανίως δὲ καὶ προκελευσματικόν, . . . καὶ δάκτυλον. Omnibus igitur locis indifferenter anapaestos et spondeos adhiberi docetur, raro proceleumaticum occurrere, apud poetas scaenicos etiam dactylum. Sed ea lex, qua doctrina Alexandrinorum de dactylo inter anapaestos admisso fusius explicabatur, quae excepit regulam de anapaestorum formis, apud recentiores metricos Alexandrinos nusquam exstat. Quam praebet Diomedes, qui GL I 504, 32 ita pergit (cf. cap. II, pag. 31): *sed dactylum nunquam recipit nisi in dextris pedibus* e. q. s. De quibus iam capite altero fusius egimus. — Plane oblivione obruta est lex de formarum diversitate apud Fortunatianum, qui haec docet (GL VI 285, 19—21): *recipit pedes, suum, scilicet anapaestum, dactylum et spondeum, raro et proceleumaticum: hos omnes omnibus in locis.* Denique ut omnia, quae de anapaestis dicta sunt, exhauriam, afferam Mallium Theodorum, qui GL VI 596, 1 sqq. omnino aliam doctrinam praebet; docet enim dactylum plane repulsandum esse, spondeum nunquam nisi primo loco adhibendum; qua in re sine dubio ad eas formas catalecticas spectabat, quae inde a medio saeculo secundo adhiberi coeptae sunt.

Haec de dactylis; venio ad legem de digessione anapaestorum, quae et ipsa recentioribus temporibus mutata est. Alexandrina enim aetate anapaestos semper κατὰ μέτρον digestos fuisse

supra vidimus (pag. 32). Atque ad hanc doctrinam etiam Aristidis Quintiliani hic locus respicit (I 23, pag. 32, 20—23 ed. Jahn): τὰ μὲν (scil. τῶν πρωτοτύπων) καθ' ἕνα βαίνεται πόδα καὶ προχωρεῖ σύνεγγυς κδ χρόνων . . ., τὰ δὲ κατὰ διποδίαν ἢ συζυγίαν καὶ προχωρεῖ ἕως λ χρόνων ἢ ὀλίγῳ πλειόνων. Aliud docet Mar. Victor. GL VI 75, 26 sq.: *percutitur vero versus anapaesticus praecipue per dipodian, interdum et per singulos pedes.* Quibus condicionibus anapaesti per singulos pedes, quibus per dipodian percutiendi sint, nemo auctor tradit, quamquam Victorinus talia fere verbis suis addere debuit: 'Si dactylus inter formas anapaesticas occurrit, anapaestici versus semper ad metrum percutiendi sunt, cum aliter χαυνότης illa vitari non possit' (cf. supra pag. 31). Hoc enim solummodo docebant, versus anapaesticos ad pedem percussos ἁπλοῦς appellari, versus ad metrum digestos συνθέτους; quod apparet ex Aristidis verbis, quae sequuntur ea quae modo descripsi (pag. 32, 23): τινὲς τὰ ὑπερβαίνοντα τὸ προειρημένον τῶν χρόνων πλῆθος διαιροῦντες εἰς δύο σύνθετα προσηγόρευσαν. Itaque de anapaestis ipsis ita res se habet, ut legimus apud Aristidem pag. 34, 2—4: καὶ ὅτε μέν ἐστιν ἁπλοῦν (scil. τὸ ἀναπαιστικόν), καθ' ἕνα πόδα γίνεται, ὅτε δὲ σύνθετον, . . . κατὰ συζυγίαν ἢ διποδίαν. Cum novicia hac doctrina optime congruit Plotius Sacerdos, qui versus anapaesticos maxime varios enumerat satisque inepte interpretatur. Discernit versus simplices et duplices; illi κατὰ πόδα, hi κατὰ μέτρον digeruntur; illi solos anapaestos, hi etiam dactylos praebent (GL VI 531, 25 sqq.):

531, 25: dim. catal.: corruptus, sed dactylos continens.

532, 3: dim. acatal.: –⏑⏑|––‖⏑⏑–|⏑⏑–;

iam tibi Mars in genibus recubans.

7: dim. dipygn. hypercat.: –⏑⏑|––‖–⏑⏑|–⏑⏑‖–;

tu fueras formose puer fueras.

10: trim. acatal. simpl.: ⏑⏑–|⏑⏑–|––;

Lacedaemona pastor flens.

13: dim. acatal. simpl.: ⏑⏑–|⏑⏑–;

tribuit mihi lex.

25: tetram. acat. plen. archig.: ⏑⏑–|⏑⏑–|⏑⏑–|⏑⏑–;

Chaos et Phlegethon loca nocte silent.

533, 5: tetram. brachyc. aristoph. dupl.: –⏑⏑|––‖⏑⏑–|––‖⏑⏑–|⏑⏑–‖⏑⏑–|⏑;

quidve dolens sic Veneris natus calamos calidos tibi mittit.

9: tetram. hypercat. diodor. simpl.: ⏑⏑–|⏑⏑–|⏑⏑–|⏑⏑–|⏑;
Lalagen coleres specie rationis.

14: tetram. miur. simpl.: ⏑⏑–|⏑⏑–|⏑⏑–|⏑–;
lapides mare turgidum eluens.

26: pentam. anap. catal. simpl.: ⏑⏑–|⏑⏑–|⏑⏑–|⏑⏑–|⏑⏑;
tuba terribilem sonitum procul aere dat.

30: tetram. brachycat. lacon. dupl.: –⏑⏑|––||⏑⏑–|––||⏑⏑–|⏑⏑–||––;
quidve dolens sic Veneris natus calamos calidos armas.

Vetustissima illa lex de digessione anapaestorum certe temporibus progredientibus ita conversa est, ut digessio anapaestorum κατὰ πόδα alteri percussioni vel praeferretur. Quod apparet ex Tricha, qui dicit anapaesticum metrum 'etiam' κατὰ διποδίαν percuti (382, 29 et 32 C), et praecipue ex Mallio Theodoro, qui GL VI 596 versus anapaesticos affert, quos omnes per singulos pedes percutit; velut v. 12: ... *ab hexametro ordimur. huius exemplum: 'alte superemicat Aetna poloque propinquat'.* V. 23: *versus pentameter anapaesticus colobos fit ita: 'tuba terribilis procul aere canoro'.* Quod cum facit, causam nobis aperit, cur dactylos omnino e metris anapaesticis exsulare iusserit (cf. supra pag. 79).

Tertio loco de diaeresi dicendum, quae est omnium verorum anapaestorum propria; sed verbis parcere licet, cum de ea legem unus Victorinus integram praebeat (cf. GL VI 77, 2 sqq.; supra cap. II, pag. 32). Atilius Fortunatianus quidem, qui ipse quoque diaeresin commemorat, haec docet GL VI 285, 15 sqq.: *huic* (scil. anapaestico metro) *naturale catholicum est partes orationis singulis pedibus terminare: hic enim versus optimus est, secundus ab optimo ille, qui* συζυγίας *parte orationis finit.* Sed mea sententia Atilius, quem de dactylica forma doctrinam plane depravasse modo vidimus (pag. 79), legem de diaeresi cum ea de anapaestorum digessione, qualis recentioribus temporibus erat constituta, confudit. Scriptores metrici, ut intelleximus, Atilii temporibus docebant anapaestos per singulos pedes percuti, interdum et per dipodias. Verbo 'percutere' Latini scriptores Graecum διαιρεῖν vertebant, quod non idem est, quod 'per diaeresin seiungere'. Fortunatianus autem, omni sensu metrico expers, falso de diaeresi sermonem esse arbitratus est, cum haec fortasse legeret: διαιρεῖται δὲ τὸ ἀναπαιστικὸν κατὰ πόδα, ἐνίοτε δὲ καὶ (cf. Trich. 382, 29. 32) κατὰ συζυγίαν.

Iam ad formas catalecticas accedamus. Paroemiacus, trimeter anapaesticus catalecticus, aristophaneum, quae a veteribus poetis Graecis persaepe adhibita erant, in melioribus libris metricis, qui supersunt, multis exemplis illustrantur. Ab Hephaestione autem non solum paroemiacus, sed etiam enoplius ille qui vocatur Ἐρασμονίδη Χαρίλαε catalecticis formis anapaesticis addictus est (pag. 27, 7—12 C). Quod a prioribus scriptoribus metricis non factum esse his de causis persuasum habeo. Alexandrini, ut vidimus cap. II, formas quasdam lyricas anapaestis similes pro anapaesticis versibus catalecticis habebant ea sola condicione, ut primus pes purus anapaestus esset (pag. 35). Maxima igitur diligentia primi pedis naturam respiciebant. Itaque Alexandrini, quamquam paroemiacum a longa syllaba incipientem pro anapaestico versu habuisse credendi sunt, tamen versum ab iambo incipientem certe nullo modo inter anapaesticos numerabant. Quod facillime fieri potuit secundo saeculo Christiano. Tum enim poetas ipsos, num paroemiaci primus pes iambus esset, nihil curasse cap. III vidimus (pag. 53). Hanc licentiam apud poetas recentiores ex usu anacreontei ortam esse suspicati sumus, quod et a duabus syllabis brevibus, et ab una longa, et ab una brevi incipere poterat (⏔–⏑–⏑–⏓). Recentioris aetatis usus liberior etiam apud Hephaestionem elucet; qui non modo enoplium, ut modo dixi, inter versus anapaesticos commemorat, sed etiam (14, 9—13 C) telesilleum ἅδ' Ἄρτεμις, ὦ κόραι, quamquam a longa syllaba incipit, versum anapaesticum appellat, cum alio loco (35, 10—11 C) recte dimetrum ionicum agnoscat. — Trichas plura exempla formarum catalecticarum affert, quae ex Heliodoro non sumpta esse quantitas syllabarum saepe neglecta indicat; quamquam dubium esse non potest, quin inter artes deperditas fuerint, quae tales formas respicerent; alioquin enim Trichas de iis dixisse credendus non est. — Alter procedat Plotius Sacerdos, qui permultos versus anapaesticos ratione ineptissima deducit (GL VI 531, 25 sqq.; cf. supra pag. 80 sq.); cuius stultitia imprimis ea re apparet, quod formarum catalecticarum exemplis, quae ipse sibi finxit, dactyli continentur vel in metrorum pede posteriore, qui neque in tragoediis neque in recentiorum temporum monumentis admissi sunt. Affert autem tres terminos Graecos, quibus variae formae versuum non integrorum significentur: κολουρός, μειουρός, καταληκτικός; Mallius Theodorus (GL VI 596, 19) quartum addit: κολοβός. Denominatio autem versuum secundum

Sacerdotem ad ultimi pedis conformationem fit, prout una vel duae, vel longa vel breves syllabae omissae sunt (GL VI 533, 18—23). Supponamus exempli causa dimetri anapaestici figuram; erit igitur dimeter anapaesticus

κολουρός: ◡◡—◡◡—◡◡—◡[◡—];
κολοβός: ◡◡—◡◡—◡◡—[◡◡]—;
μειουρός: ◡◡—◡◡—◡◡—[◡]◡ / ◡[◡]—;
καταληκτικός: ◡◡—◡◡—◡◡—◡◡[—].

Tali e doctrina quid proficias? Verba sunt, non quaestiones metricae. Id unum mentione dignum videtur, quod eam formam, quam anapaesto-iambicam in tragoedia Graeca appellabamus, Graeci, si ultima syllaba longa erat, miuram nuncupabant, si brevis, catalecticam. Quam distinctionem iam ab Alexandrinis constitutam esse non puto, cum Hephaestio pag. 14, 4—13 C telesilleum, quod in longam syllabam exit, non miurum, ut Sacerdos, sed hypercatalectum appellet. Praeterea Hephaestio ipse tradit dimetrum, quem colurum Sacerdos dicit, ab Alexandrinis καταληκτικὸν εἰς συλλαβὴν appellatum esse. Itaque dubium non est, quin recentioribus demum temporibus, cum ignorantiam artis dissimulare viri docti studebant, plura nomina iisdem rebus constituta sint.

Haec de Alexandrinis; iam ad Stoicos nos convertamus. Quorum de anapaestis annotationes recentiores eis rebus ab Alexandrinis differunt, quod neque ullam disciplinae corruptionem praebent, et ad poetarum suae aetatis studia respiciunt. Itaque eorum tractatione nonnulla, quae capitibus antecedentibus dubia relinquere coacti sumus, dilucidiora factum iri spes est.

Quamquam non desunt difficultates. Cum enim Alexandrina disciplina permultis tractatibus et Graecis et Latinis exstet, Stoicorum recentiorum praecepta metrica paucissima eaque tantummodo Latina nobis servata sunt, quamquam fragmento Oxyrhynchio invento[1]) iam constat non defuisse Graecos recentioribus temporibus, qui artem metricam ad Stoicam rationem tractarent. Latini autem scriptores metrici, qui supersunt, eis locis, quos cap. IV attuli, Latinos tantummodo poetas suorum temporum commemorant, nunquam Graecos. Itaque, si e praeceptis metricis Stoicorum recentiorum aliquid novi de Graecis illius aetatis poetis, quos Latini imitabantur, cognoscere

[1]) Pap. Oxy. II, fgm. 220. Nachr. d. Gött. Ges. d. Wiss., phil.-hist. Kl., 1899, pag. 495 sqq.

studemus, alii loci afferendi sunt, quibus grammatici Latini de Graecorum ipsorum studiis metricis aliquid tradunt.

Et exstant duo loci, quibus Graecorum poetarum recentiorum studia optime illustrantur. Quorum alterum reperias apud Diomedem, qui GL I 504, 35 sq. haec docet: *hoc metrum catalexin*[a]) *facit aut in ionico* ἀπὸ μείζονος *aut* ἀπὸ ἐλάσσονος *aut in molosso * aut in paeone quarto aut in choriambo.* Haec verba sine dubio e Graeca lingua in Latinam translata sunt; versus enim, quos Diomedes commemorat, magna ex parte a poetis Latinis omnino non formatos esse scimus: dimeter anapaesto-paeonicus et anapaesto-iambicus in cantilena Niloplotarum quae vocatur nobis occurrit; versus in ionicum ἀπὸ μείζονος desinens certe dimeter est anapaesto-iambicus, quem et ipsum Latini poetae nunquam adhibuerunt, Graeci recentioris aetatis saepissime. — De his auctoribus Graecis metra anapaestica varie claudere studentibus etiam Marius Victorinus agit GL VI 75, 16 sqq.: *nonnulli in ultima huius* (scil. metri anapaestici) *sede ionicum minorem recipiunt ea ratione, qua in fine metrum omne varie claudatur; dehinc quod etiam ab auctoribus studio novitatis quaedam adiciantur et detrahantur contra, quam ratio veteris disciplinae permittit.* Haec verba de ipsis poetis Graecis recentiorum temporum aliquid nos praecipere sinunt. Doctrinam esse Stoicam nemo non videt; sed id quoque ex his verbis apparet, ipsos poetas Graecos, quorum carmina anapaestica cap. III tractavimus, versus suos ad Stoicam rationem digessisse atque composuisse. Tradit enim hic grammaticus poetas 'studio novitatis quaedam adiecisse et detraxisse' contra, quam ratio veteris disciplinae permiserit, nonnullosque ionicum minorem recipere 'ea ratione, qua in fine metrum omne varie claudatur', quam rationem Stoicam esse supra vidimus (cap. II, pag. 38). Sed quaerendum est, quo iure hi poetae Stoici novas formas se composuisse autumaverint, cum eas ex antiquis exemplis sumerent. Quod qua ratione gloriati sint ex eis intellegitur, quae apud Terentianum Maurum de hexametro miuro dicta sunt, ex quo illis temporibus carmina composita esse scimus (v. 1920 sqq.): *dactylici finem versus si cludat iambus, hoc est pro longa brevis ut paenultima fiat, auribus acciderit n o v i t a s inopina meleos.* Poetae

---

[a]) De καταλήξεως appellatione, quam a Stoicorum disciplina alienam dicas, cf. Leo, Ein metrisches Fragment aus Oxyrhynchos, Nachr. d. Gött. Ges. d. Wiss., phil.-hist. Kl. 1899, pag. 504.

huius aetatis ex antiquis poetis formas singulares sumebant, quarum 'novitatem' admirabantur. 'Novae' igitur hae formae non ea de causa appellabantur, quod usque ad id tempus nondum adhibitae fuerant, sed quod earum compositio vulgaribus legibus metricis repugnabat. Idem docet Victorinus verbis quae modo attulimus: .... *quaedam adiciantur et detrahantur contra, quam ratio veteris disciplinae permittit.* Recentioris aetatis poetae id unum novi addiderunt, quod ex eis formis, quae antea dispersae modo et rarae occurrerant, integra carmina conficiebant. Ita enim verba illa interpretanda esse mihi videntur, quibus Victorinus dimetrum anapaesticum diaeresi carentem commemorat (GL VI 77, 2 sqq.): *anapaesticum melos binis pedibus amat sensum includere .... contra Pacuvius novare propositum volens noluit intra binos pedes, ut superius, finire sensum, sed secundum Euripidem dactylicum metrum, quod appellatur, induxit.* Euripides enim diaeresi neglecta novum aliquid induxit, sed raro adhibuit; Pacuvius hunc usum imitatus est; Graeci contra poetae secundi saeculi Christiani ex hoc versu tota carmina conficiebant.

Videmus igitur principatus Romani aetate studia illa denuo viguisse, quae aetatis Alexandrinae initio floruerant, cum poetae quidam, ut Glyco et Simias, aliquas formas e carminibus lyricis delibabant stichiceque adhibebant, qua re nomen suum immortalitati tradebant. Is autem usus, qualis primis saeculis Christianis instituebatur, propterea Stoicus agnoscendus est, quod eae formae praeferebantur, quae aliqua re inaudita — quam 'novitatem' appellabant Stoici Latini — legentium oculos in se convertebant. Hac de causa dimetros diaeresi carentes poetae construebant, qui usus verorum anapaestorum naturae vehementissime repugnabat; eadem de causa iam Senecae aetate hypermetra paroemiaco absoluta componere ausi sunt, quod antea ab ipsis Stoicorum praeceptis abhorruerat, cum Varro docuisset, metra nisi pedem alienum pro clausula reciperent, carmen confici non posse (GL I 512, 38—513, 3). Sed id ipsum Graeci ut novum admirabantur, quod nemo usque ad id tempus poetis licere putaverat. — Usum inauditum etiam in eis formis adamabant, in quibus clausula singularis, ut paeon, metrum anapaesticum sequebatur, praecipue autem in eo versu, quem brachycatalectum Alexandrini vocabant. Hanc formam Stoici, ut qui catalexin vulgo non agnoscerent, sine dubio ita digerebant, ut metro anapaestico unum anapaestum adiectum esse

dicerent[3]). Haec quoque compositio antiquiori Stoicorum usui repugnaverat, cum alienos pedes metris adiciendos esse Stoici docuissent, in forma brachycatalecta anapaestus metrum anapaesticum clauderet. — Diaeresin quoque Stoici sine dubio 'novitatis' causa in catalecticas formas ex integris transtulerunt. Clemens autem hoc usu Stoicam doctrinam gravius exprimere voluit, cum demonstraret, quam varie metra anapaestica claudere Stoicis poetis liceret[4]).

Sed novus usus poetas Stoicos etiam eam cupiditatem explere docuit, quae ut novas formas ipsi excogitarent (Caes. Bass. GL VI 271, 25) eos impellebat. Formam enim in Achillis hymno (cap. III, pag. 51) inventam, quae constat ex uno anapaesto et iambo, et hexapodiam et pentapodiam in Naassenorum hymno (pag. 51) adhibitam poetae ipsi sibi construxerunt, exemplo usi dimetro anapaesto-iambico. Postremus quoque versus in Niloplotarum quae vocatur cantilena, qui constat ex anapaestico monometro et choriambo (πελάγους καὶ Νείλου γονίμου), a Stoicis

---

[3]) Haec Stoica digessio neminem fugit in Clementis hymni vv. 1—3 (pag. 48).

[4]) Non silentio praetereundum puto, quo modo Marius Victorinus etiam Callimachum ea molientem inducit, quae moliri secundi saeculi Christiani poetas cognovimus, nempe ut metra anapaestica varie clauderent; haec enim de archebuleo dicit GL VI 75, 20 sqq., postquam de Stoica ratione metra varie claudendi disseruit: ... *et iambus in clausula invenitur, et appellatur archebulium. at si trisyllabo sui dumtaxat generis terminetur, adaeque archebulium, sed integrum: nam prius, in quo iambus,* ἀπόκροτον *dicitur.* Haec verba ad Callimachum spectare inde apparet, quod ab hoc poeta metrum Archebuleum praecipue adhibitum esse scimus (cap. I, annot. 42). Eodem igitur studio novandi Callimachum inflammatum esse Victorinus docet, quo aevi Christiani poetas Graecos et Latinos arsisse ipsi cognovimus. Idem anonymus audet Oxyrhynchius, qui (Pap. Oxy. II 220, col. XI) Κυρηναϊκὸν commemorat, de quo egimus cap. I, annot. 42. Confirmatur igitur metricorum scriptorum testimoniis, iam multo antequam ei metrici scriptores, quos Stoicos vocare solemus, leges metricas constituere coeperunt, quibus multa nova excogitari posse autumabant (Caes. Bass. GL VI 271, 25), fuisse qui novis formis operam darent. Qui quales leges metricas secuti sint omnino nescimus; de anapaestis id opinari licet, digessionem κατὰ πόδα iam poetis Callimachi aetate viventibus non ignotam fuisse, teste Simia, qui in 'Ovo' suo, cuius versus nonnullos attuli cap. I (pag. 27 sq.), anapaestorum singulos pedes numeravit (cf. Wilamowitz, Textg. d. gr. Bukoliker, Philol. Unters. XVIII, pag. 250). Quam digessionem in recentioribus demum tractatibus metricis Alexandrinis denuo occurrere supra vidimus (pag. 80 sq.).

metra varie claudere studentibus recens formatus videtur esse[5]). Quid dicam de paroemiaco miuro, cuius ad inventionem tempora ipsa quasi maxime idonea erant? Cum enim non modo inde a saeculo quarto, sed iam antea[6]) versuum syllaba paenultima accentu efferri soleret, facillime dimetri anapaesto-paeonici (◡◡–́◡◡–́‖◡́◡◡◡–́) digessio anapaestica orta est, cum versum e tribus anapaestis et syllaba (◡◡–́,◡◡–́,◡◡◡́,–) constare Stoici docerent.

Constat igitur primo saeculo Christiano et secundo Graecos poetas e polymetricis carminibus anapaesticas formas singulares sumpsisse Stoiceque digessisse et composuisse. Ex Romanis autem qui hos secuti sunt, ut Caesaris aetate imitatores Graecorum Latini, novi sive novelli sive neoterici vocabantur. Iam apparet poetas primi saeculi et secundi, quamvis aliis rebus inter se differant, ea tamen re coniunctos esse, quod utrique Stoicam disciplinam sequebantur, cum 'novitate', ut ait Terentianus, 'ducti', 'contra, quam ratio veteris disciplinae permittebat', anapaestica carmina pangerent.

Praeter ea, quae hoc opusculo tractavimus carmina, recentioribus temporibus etiam alia cantica anapaestica componebantur, quae Graeco nomine σκώμματα appellemus. Anapaestis enim et dominos odiosos exprobrationibus obruere homines solebant et inter mensas et pocula amicos per iocum illudere. Talia cantica a scriptoribus semper appellantur ἀνάπαιστα. Philo adv. Flacc. 537 M ψευδεῖς ῥήσεις δι' ἀναπαίστων commemorat, quibus cives

[5]) Illis temporibus vere non defuisse, qui novas formas metricas Stoica ratione componere studerent, praecipue intellegitur ex fragmento Oxyrhynchio, quod nobis tractatum metricum Stoica ratione confectum tradit. Cuius auctor, qui primo circiter saeculo Christiano exeunte vixit, commentariolo metrico amicum aliquem novos versus componendi artem docere sibi proposuerat (Leo, Nachr. d. Gött. Ges. d. Wiss., phil.-hist. Kl. 1899, pag. 506). Alterum testem iam supra protulimus, cum Victorini verborum illorum de poetis nova arte anapaestos claudentibus mentionem feci (pag. 84). Victorinum Apthonii vestigiis insistere constat; Apthonius a Theomnesto quodam sive Thacomnesto doctrinam suam artis metricae Stoice tractandae repetivit (G. Schultz, Quibus auctoribus Aphthonius usus est, Vratisl. 1885). Theomnestus autem medio saeculo secundo vixit, i. e. eodem tempore, quo Lucianus et Mesomedes novas formas anapaesticas induxerunt. Quas novationes quo modo scriptores metrici silentio praeterire poterant? De quibus quae Theomnestus dixit, Victoriniano loco quem attuli exstare existimo.

[6]) Vide Valentini carmen supra pag. 60, praeterea cap. III, pag. 54 sq. et cap. IV, annot. 10.

Alexandrini in Flaccum praefectum Aegypto a Tiberio Caesare invecti sint. Lucianus conviv. 18 scurram inducit convivas dictis suis delectantem: καὶ ἀνάπαιστα συγκροτῶν διεξῆλθε . . . καὶ τέλος ἐπέσκωπτεν ἐς τοὺς παρόντας. Anapaestis scurra ad illudendos convivas usus videtur esse. Alciphr. epp. III 7 (ed. Schepers) convivae ipsi delectantur παρὰ μέρος ἀλλήλοις ἐπιρραπίζοντες καὶ ἀνάπαιστα εὔκροτα ἐπιλέγοντες αὐτοσκωμμάτων ἁλυκῶν καὶ αὐτοχαρίτων ἀστεϊσμῶν αἱμυλίας γέμοντα. Tales igitur versus primo saeculo Christiano et secundo populares erant. Quorum forma qualis fuerit si quaerimus, auxilio venit Plutarchus, qui Hermippi comici ἀνάπαιστα affert in Periclem composita (Pericl. 33): ἐπεφύετο δὲ καὶ Κλέων ἤδη διὰ τῆς πρὸς ἐκεῖνον ὀργῆς τῶν πολιτῶν πορευόμενος ἐπὶ τὴν δημαγωγίαν, ὡς τἀνάπαιστα ταῦτα δηλοῖ ποιήσαντος Ἑρμίππου·

βασιλεῦ σατύρων, τί ποτ' οὐκ ἐθέλεις
δόρυ βαστάζειν, ἀλλὰ λόγους μὲν
περὶ τοῦ πολέμου δεινοὺς παρέχει,
ψυχὴν δὲ Τέλητος ὑπέστης;
κἀγχειριδίου δ' ἀκόνῃ σκληρᾷ
παραθηγομένης βρύχεις κοπίδος,
δηχθεὶς αἴθωνι Κλέωνι.

Qui versus quamquam multo ante principatus Romani temporibus composita sunt, tamen, cum eodem nomine (ἀνάπαιστα) signentur, quo reliqui scriptores recentiora carmina appellaverunt, mihi sufficiunt ad formam posteriorum canticorum intellegendam. Erant igitur systemata anapaestica paroemiaco conclusa etiam primis saeculis Christianis apud vulgum usitatissima. Idem iam supra nos docuerunt duo fragmenta hymni εἰς Ἀπόλλωνα, quem confecit Porphyrius (cap. IV, annot. 32). Ea una re, si Porphyrii fragmentis fidem habere licet, recentiora systemata a vetustioribus differebant, quod paroemiacus liberior adhibebatur, cum vel in media sententia poneretur, in fine deesset. Hic usus, quem aliqua ex parte iam aetate Alexandrina viguisse e fragmento Berolinensi supra cognovimus (pag. 29), sine dubio valde amplificatus est, postquam poetae Stoici hypermetra paroemiaco absoluta pangere coeperant. Haec enim novitas, cum anapaesti, quod modo vidimus, Christiano saeculo primo metrum populare esse non desiissent, procul dubio celerrime pervulgata est. Quod testatur ἐναγώνιος ille quem Ps.-Lucianus (Demonactis vita 65) vocat πούς, quo praecones initium et exitium ludorum

gymnicorum nuntiare solebant (ἄρχει μὲν ἀγὼν e. q. s.; cf. supra pag. 73). Haec enim cantilena ante Neronis aetatem, ut σκώμματα illa, paroemiacis non caruisse existimanda est, dum nova anapaestos pangendi ratio usum vetustiorem reppulit. In conviviis quoque, ut in quibus anapaesti semper iactati essent, novae formae audientium animos delectabant, quod cognovimus e dimetris anapaesto-paeonicis, quos Niloplotarum cantilenam appellavit Wilamowitzius (cap. III, annot. 9). Praecipue vero hymnis novae formae anapaesticae secundo saeculo omnes in vulgus elatae sunt, unde saeculo tertio in vetustissimos hymnos Christianos transierunt.

Vita.

Natus sum Augustus Raabe Argentorati in urbe Alsatica pridie Non. Sept. anni MDCCCLXXXVI patre Alberto, matre Caecilia e gente Marks. Fidem profiteor evangelicam. Autumno anni MDCCCXCII in ordinem discipulorum Gymnasii Protestantici Argentoratensis receptus sum. Aetate anni MCMV maturitatis testimonio ornatus, a. d. XV Kal. Nov. universitatis Wilhelmae Argentinensis civis factus sum philologiaeque studiis me dedidi. Docuerunt me viri doctissimi Baeumker, Henning, Keil, Klotz, Martin, Neumann, Reitzenstein, Ziegler. Proseminario philologico interfui per quattuor semestria; tum Keilii Reitzensteiniique benignitate in seminarium philologicum receptus per unum annum sodalis eius fui ordinarius. Praeterea interfui exercitationibus epigraphicis et historicis, quibus Keil et Neumann, et seminariis germanicis, quibus Henning et Martin, et philosophicis, quibus Baeumker et Ziegler praeerant. Vere anni MCMIX dissertatio mea, quae inscribebatur 'Systemata anapaestica a poetis Graecis quo modo formata, exculta, mutata sint explicetur', ab amplissimo philosophorum ordine praemio exornata est; cui hoc opusculum est superstructum. Viris illustrissimis qui me docuerunt omnibus, praecipue Keilio et Reitzensteinio, pio gratoque animo semper deditus ero. Maximam vero gratiam debeo Brunoni Keil, qui quam benigne consilio suo semper me adiuverit verbis exprimere nequeo.
